
















J. B. 27 Novr 1852 0.0.5

On Barnacles

we shall lose our time
And all be turned to barnacles

Caliban in The Tempest IV. 1.

For Keats's Lamia see pp 174-175

Michael Maier, a German alchemist, b. 1568 d. 1622
His writings are numerous, & are all very rare.

For Rossetti' Lilith see the curious passage pp. 177-178

E. D.

TRACTATVS DE VOLVCRI ARBOREA, ABSQVE PATRE ET

matre, in Insulis ORCADVM, forma Anserculorum proueniente,

seu

DE ORTV

Miraculoso potius, quam naturali Vegetabilium, animalium, hominum & supranaturalium quorundam:

Quo causæ illius & horum inquiruntur, & demonstrantur:

Authore

MICHAELE MAIERO, COMITE Imperialis Consistorij, Equite, Exempto; Phil. & Med. D. P. C. olim Aulico Cæsar: nunc illustriss Princip. ac Dn. Mauritij: Hassiæ Landgrauij, &c. Archiatro.



FRANCOFVRTI,

Typis NICOLAI HOFFMANNI, sumptibus Lucæ Iennis.

Anno M. DC. XIX. 12

NOBILIVM VT LITERATISSIMO, SIC LITERATORVM NObilissimo, inter vtrosque politissimo, miræ & virtutis & pietatis VIRO DN.

IOHANNI HARDTHMVTHO ab Hutten, Eq. Fr. &c.

Illustriß. Princip. Wirtembergico à Consiliis, necnon superiori in WEINSPERG ET MECKMVHLEN Præfecto, Domino suo amico omni obseruantia colendo,

in

Gratam quasi Æsculapij aram, seu arrham Philothesiam, non sine perpetuæ memoriæ igniculis positam,

hoc

Quicquid est tam naturæ, quam artis, Monstri, ne ab ignaris extra vtriusq; pomærium deportetur, sed vt creatum à creatura, grato in creatorem animo agnoscatur,

D. D. D.

MICHAEL MAIERVS.





PRÆFATIO AD LECTOREM.



Vi hanc vitam, candide Lector, ſcenam, & hunc mũdum Amphitheatrum quoddam dixerunt non abſq; cauſa videntur ita ſenſiſſe: Natura enim (ſummi Dei creatoris miniſtra ſeu vicaria) hic actrix eſt, & homines quotquot ſunt, Perſonæ: Imo & reliqua omnia Naturæ opera adducuntur, veluti ſubiecta, de quibus agitur aut tractatur à Perſonis: Solent autẽ in comœdiis ſeriis iocoſa admiſceri, & arduis negotiis ludicra, ſolitis admiranda, frequentioribus rariora, vt nimirum varietas delectationem & admiratio rimationem pariat: Vt enim in Muſicis Ridetur,

chorda qui ſemper oberrat eadem, ſic in hiſtrionica non vnus ſemper modus in omnibus probatur: Et Natura, ne omnino fatalis ac nunquam aliter agere quam ordinarie potens in ſuis operibus videatur, extraordinarios aliquãdo effectus producit, quales ſunt non ipſius errores, monſtra, ſed potius luſus & quaſi naturalia miracula, non quod illa ludat, (multo minus ipſe Deus, quod impium eſſet dicere aut cogitare) ſed quia noſtri reſpectu ſit hilaris quædam recreatio & à communi operum ſeriorum via ſeceſſio: Regium non eſt ludere cum pueris & equitare in arundine longa, attamen Reges parentes ex amore erga liberos ſuos id factitaſſe leguntur: Sic mater genuina quid non tentat ridiculi aut ludicri, vt placet filios & à lachrymis ad riſum, à planctu ad luſum reducat? Anne eiuſmo-

di de natura omnium matre dici poterunt in productione tot rerum nouarum, insuetarum & rariorum? Imo, vt alia non commemorem, id inprimis apparet in admirãda illa volucri, quæ in insulis Orcadicis, vltra Scotiam in Oceano sitis, innascitur in arboribus aut potius lignis: De hac cum multi dubitent, an esse possit, an vero sit ex gerris Siculis aut insulanis, & nuper à quodam Scoto, Medicinæ doctore mihi illorum anserculorum, in testis suis latentium, nonnulli monstrati sint, vna cum ipsa forma (licet exigua) qua ligno adhærebant supra quinquaginta, inde occasionem desumpsi tam rari & mirabilis fœtus descriptionem (quã nullus ante hac methodice tentauit, nisi obiter) tradere hoc tractatu, quo plurima eiusdem generis admiranda & præter naturæ cursum nata percurremus &

 causas

causas eorum naturales rimabimur, ea intentione, vt Dei gloria etiam ex hoc quasi Naturæ lusu vel potius miraculo augeatur, homo rationalis ad huius agnitionem & illius celebrationem incitetur, qui iucũdo hoc spectaculo motus mentem ad eum, qui absque patre humano & matre diuina natus in hunc mundum, inter Deum & hominem Mediator existens, venit, dirigat, ab infimorum cõtemplatione ad summa inuitatus. Vale.



EPIGRAMMA
AVTHORIS.

ORdo ſtatuſque manet Naturæ matris, & idem
Rebus in hoc mundi tramite vultus adeſt.
Vna genitrici teritur via regia, & vna
Orbita mortales irrequieta trahit.
Eſt tenor in ſtabili terræ naſcentibus ortu,
Rectaque Naturæ linea ducit opus.
Interdum tamen illa graui ceu munera feſſa
Ceſſat, curriculo nec ſolet ire ſuo:
Cum contra ſeriem ſolitam, curſumque perennem
Egremio fœtus ingenioſa parit.
Qui præter ſuetas quid habent mirabile formas,
Siue notes ortus, interitusve modos.
Tale quid Orcadiæ dant (non eſt fabula) terræ,
Ales vbi in lignis dicitur ortus aquæ.

Anſeribus ſimilis clangore per ęthe-
tranans
Dum volat in gratos capitur ille
cibos:
Non ipſi pater eſt, materve, nec edi-
tus ouo
Semine nec fœtus, oua nec vlla
ſerit.
Sed noua progenies Naturæ prodi-
tur, in qua
Artificis manus eſt conſpicienda
DEI.
Extra naturæ curſus quæ plurima
profert,
Omnipotens pateat Numen vt
inde ſolo:
Omnia pro libitu faciens teſtetur vt
orbi,
Nullis ſe Fatis, carceribusve pre-
mi.

SE.



SERIES CAPITVM HVIVS TRACTATVS.

Cap. I.

Naturam non esse æternam, sed creatam & institutam à Deo in tempore, cuius opera etiam minima, vtpote à DEO omnium Maximo, testimonium reddentia, ab homine, qui ipse Naturæ portio est, consideranda sint.

Cap. 2.

Quæ per naturam generata dicantur ordinaria via, quæ extraordinaria per solam putrefactionem quasi priuilegio quodam, absque seminio patris ac matris, inter quæ volucris Orcadia referenda est.

Cap. 3.

Quæ sit historia descriptionis huius volucris, tum ab aliis authoribus, qui eius meminerunt, tum à nobis ex oculari testimonio factæ.

Cap. 4.

Quod soli Oceani vel aquarum fœcundi-

tati huius volucris generatio non sit asscribenda, & quæ causæ eius, Efficiens & Materialis, habeantur.

Cap. 5.

Quod causa formalis huius fætus sit virtus astralis materiæ præparatæ infusa & quæ Finalis.

Cap. 6.

Quod finis proprius huius volucris generationis sit, ut referat duplici sua natura, vegetabili & animali, Christum, Deum & hominem, qui quoque sine patre & matre, ut illa, existit.

Cap. 7.

De Agno Tartariæ, Vegetabili-animali seu Zoophyto historia, quatenus verisimilis & admirabilis appareat.

Cap. 8.

Quæ sit miranda natura quorundam vegetabilium, inprimis Draconis Arborei, eiusque sanguinis, Indiæ occidentalis, florum & plantarum aliarum, quæ artificio mirifice iunguntur.

Cap. 9.

Quo artificio in Ægypto olim & adhuc oua auium excludantur, & quibus ex causis, tum quæ animalcula ex quibus variam

mu-

mutationem, & quasi nouam generationem subeant.

Cap. 10.

De rarioribus in natura contingentibus Angliæ, vtpote canibus, bufone cum aurea Cathena & Pythone ex percussu terræ generato.

Cap. 11.

De volucris Igneæ seu Vulcani, hoc est, in igne generatæ, Phœnicis, natura & descriptione, quid scilicet per eam tot seculis allegorice, Arabiæ & Ægypto appropriatam, tectum & intellectum sit.

Cap. 12.

Vnde primorum hominum origo Ethnicis statuta, vbi de viridibus pueris in Anglia visis, Paliscis Siciliæ & Tagete Hetruriæ, ex terra natis, agitur.

Cap. 13.

De monstrosis quorundam ortibus, Palladis ex cerebro Iouis, Hebes ex Iunone solo lactucæ esu, virginis ex Buddæ latere & his similibus.

Cap. 14.

De Incubis & succubis, quibus generati aliquando homines præsupponuntur, & de memorabili historia Philinionis, quæ mortua

tua ex ſepulchro prodiit & res amatorias exercuit.

Cap. 15.

De Lycanthropis ſeu Lycaonibus, qui ex hominibus conuerſi in lupinam formam & rabiem, ſyluas petunt, homines & pecudes aggrediuntur, iiſque multiplicia damna inferunt.

Cap. 16.

De Geniis, num generent ac generentur, quid ſint & quomodo vocentur, qui euocari ſint ſoliti, unde Syluani, Lamiæ, Satyri, ſtryges, & quid operentur, quidve imputandum cacodæmoni, cum concluſione Tractatus.

CA-



CAPVT I.

Naturam non esse æternam, sed creatam & institutam à Deo in tempore, cuius opera etiam minima, vtpote de Deo omnium Maximo testimonium reddentia, ab homine, qui ipse Naturæ portio est, consideranda sint.



Eripateticorum est, qui mundum vt Æterni Numinis effectum producunt eidem coæuum vel æternum, ne causa agens sit absque actione, vel ab æterno, vt ipsi dicũt, otiosa, Naturam Dei vicariam & locumtenentem quoq; æternam statuere: Sed quam erronea sit hæc opinio, sacrisque literarum

rum monumentis contraria, facile cuicunq; ex Christianis philosophis patet. Nec satis est Proclum eiusque sequaces Ethnicos rationū momenta vndiquaque coaceruasse, quibus demonstrent mundi æternitatem, cum Intellectus hominis finitus non capiat illa, quæ sunt infinita, vel ad æternitatem infinitam spectant. In his enim instar pyraustæ ad lucem ignis occæcatæ, alasque sibi comburentis, seu noctuæ ad radios solares se opponentis & ab iis oppressæ, philosophi æternitatem metientes, se habent; iuxta dictum, Qui infinitam DEI summi Maiestatem potius rimabitur, quam mirabitur, ab ea opprimetur: Vt enim exigua scintilla igniculi exposita radiis solis meridie æstiuo tempore ardentibus facilime extinguitur, in tenebrosis vero & temperatis locis adiuncto fomite conseruatur, Sic intellectus humanus, quē aliqui Promethei esse igniculum à sole cœlesti incēsum & mutuatum asserunt, si radiis æterni solis siue Dei occurrit, mox languescit & ex-

extinguitur, hoc eſt, in errores inextricabiles incidit, in cæteris vero rebus nō adeo excellenter lucidis, naturaliter procedit & incrementum ſcientiæ recipit: Naturam itaque finitam, veluti & mundum, ſeu non ab æterno cum Deo proceſſiſſe, ſed in tempore ab eodem factam & inſtitutam eſſe indubitanter credimus ex ſacris literis hac noticia imbuti, quibus traditur, quod per Diuinum verbum, Fiat, omnia facta, ac deinceps per aliud, Creſcite & multiplicamini, Natura conſeruatrix, & multiplicatrix rerum ex Nihilo factarum à Deo, vicaria pronunciata & conſtituta ſit: O quam admiranda & ſtupenda hæc ex nihilo in aliquid, per chao in Elementa ex Elemētis in rerum ſpecies & indiuidua migratio & mutatio proceſſit: O quam glorioſa & inenarrabilis fuit illa potētia, prouidentia & clementia, quæ potuit optime & voluit mundum pulcherrimum ex informi barathro tenebrarum educere creatione, nulla præhabita materia (vt aliqui fingūt) pri-

ma, ſed Nihilo, alicuius priuatione: Cœlum & Terra laudent ſuum creatorem, nec taceant Sol, Luna, & cæteræ in illo faces, in hac miſta corpora, & vita humana ſit perpetua cantio ſeu hymnus creationis, redemptionis & ſanctificationis Trin-unitatis Diuinæ, Patris, Filij & Spiritus ſancti: Cui vt adſentiamur mente, voce & ſcriptione, Naturæ (ex qua agnoſci vult vt creator & conſeruator vniuerſi) admirãda & extraordinaria quædam opera cõſiderabimus hoc tractatu, vt ex effectis cauſam primam, hoc eſt, Deum primario, & ſecundas, quæ ſunt Natura, eiuſque adminicula, ſecundario eliciamus: Eſt autem hæc conſideratio non ocioſa & fruſtranea diſquiſitio, ſed homine Intellectuali inprimis digniſſima &, ſi rei ipſius & finis excellentia æſtimetur, lõge pecuniarum extorſioni & coaceruationi anteferenda, ſiquidem mentem humanam inprimis deceat, quod ad ſcientiã rerum naturalium (quæ Adamo in primo ſuo ſtatu erat propria, cumque Deo

magis

magis aſſimilabat) illam inclinet & erudiat, inque dominio ſuo, quod in ſubiectas ſibi creaturas diuinitus acceptũ poſſidet, quo ad noticiam rerum, magis inſtruat: Nec vero refert, etiamſi ex deprauatione humanæ naturæ permulti malint vnciam poſſeſſionis, quam centum libras contemplationis bonorum; cum ij brutis potius, quæ ora gramini & herbis admouent nõ curantia quæ vel quales hæ ſint, quam rationalibus Adæ filiis, compares videantur, ſaltẽ corpori proſpicientes, non menti. Extraordinaria diximus opera Naturæ à nobis conſideranda eſſe, quod non intelligendum de monſtroſis, in quibus error extra ordinem committi videtur, nec de oſtẽtis ſeu prodigiis, quæ fatali quadam neceſſitate ad indicandam mentem ſummi Arbitri aut pœnas infligendas hominibus contingunt & apparent, ſed de aliis quaſi luxuriantis aut ludibundæ naturæ miraculis: Quæ cum ſint multiplicia ac varia, aliique de occultis naturæ admirandis cauſis & effecti-

bus in genere iam ante tractarint, ex magno illo cumulo pugillum saltem vnum contemplandum hac vice mihi sumam: Si enim nonnulli de minimis creaturis non parua scripserint opera, vt Marcion Græcus de Raphano, Cato de brassica, Phanias physicus de vrtica, Themison de plãtagine, Hippocrates de ptisana, Iuba rex de Euphorbio herba, Erasistratus de lysimachia, Democritus de numero quaternario, & alias de chamæleonte animali, Pythagoras de bulbis, Diocles de rapa, Asclepiades de Antemide, Maro de culice; (at quis enumeret omnes?) cur non vno vel altero animalculo physice considerando & euoluendo, præsertim quæ extra ordinem naturæ sint posita, occupari desiderem? In tenui labor, at tenuis non gloria, inquit poeta, de apibus, earumque regno dictu-rus: Et alius, Præsentemque refert vna vel herba Deum: Ex paruis itaque maxima & ex imis summa colligemus, ne ociosi fuisse spectatores in hoc spacioso mundi theatro videa-

mur: Apellem imitemur, qui plus intelligendum in ſuis operibus, quam lineamentis expreſſum ſit, dicebat, & magni illius pictoris & fictoris, qui ex nihilo hæc omnia tãta & talia finxit & pinxit, monumenta ſcrutemur: Longe plura in hiſce, quam iis, quæ humana mens inuenit & manus fecit, cõſideratione digniſſima obſeruabimus: Imo & ſi quæ admiranda ab his proficiſcantur, ſub lato tamen naturæ ambitu, qui totum hominem cum omnibus eius contentis & effectis complectitur, eadem tenentur & circumſcribuntur: Cum enim omnis ars ſit naturæ imitatio vel expreſſio, hinc artifex, qualiſcunq; ſit, naturæ eſt imitator, cuius quoque vtitur materialibus pro ſubiectis & cauſis efficientibus vel adiuuãtibus: Et ſi omnia bene diſcernamus & colligamus præter Deum & angelos, vnam Naturam reperiemus matrem omnium rerum exiſtentium, cui addemus enormes defectus in hominis intellectu & voluntate tam originales, quam vſuales, & habebimus cau-

ſam primam & ſecundas, quarum reliquæ à prima dependent, nō autem vltima, quæ eſt mera priuatio eius, quod amiſſum eſt & adeſſe deberet.

CAPVT II.

Quæ per naturam generata dicantur ordinaria via, quæ extraordinaria per ſolam putrefactionē, quaſi priuilegio quodam abſque ſeminio patris ac matris; inter quæ volucris Orcadia referenda eſt.

NAtura, vt non eſt Deo coæua, ſic nec æqualis in potentia vel arbitrio, ſed in vtroque horum definita & limitibus certis, extra quos eam exorbitare contra Dei nutum non decet, cōcluſa: Eſt enim nihil aliud, quā vis diuina infuſa rerum vniuerſitati, corporeæ ſubſiſtentiæ inprimis; qua illæ generantur, nutriuntur, augmentantur & multiplicātur qualicunq; modo, indiuidua conſeruantur

tur ad certum interitus terminum, ex cauſa contra naturam illatum, & ſpecies propagantur, quouſq; creatori placuerit & quatenus: Supra naturam enim multa fiunt, quæ meris miraculis aſſcribenda ſunt & diuinæ voluntati: Angeli quoque boni ad voluntatem Dei, & mali contra multa faciunt, quæ non ſunt naturalia: Sic & homines plurima non ex naturæ ſolius inſtinctu, ſed voluntatis arbitrio peragunt, quę præciſe loquendo, vt opera artificialia, à naturalibus diſtinguenda ſunt: Natura non ædificat, net, fila ducit, fabricat gladios & eiuſmodi alia, ſed artifex homo per artem, quæ eſt habitus ſeu qualitas firmior comparata longo vſu in mēte hominis & manibus, aliisve partibus exprimenda: Eſt itaque natura omnibus rebus, quæ fiunt extra voluntatem ſpirituum & hominum, præſcripta, veluti mater, nutrix & tutrix, vt generet, foueat & moueat eas ad finem cuicunq; præſcriptum: Locum non habet certum, vt Ideæ Platonicæ, ſed diffunditur per

vniuersum & cuiq; indiuiduo in hoc mundo orto inest sibi propria, non aliena, non speciei vniuersali, quæ extra mentem hominis nulla existit, communicata, nec omnibus indiuiduis ex æquo, sed singulis, aliisq; sensibilibus, quam aliis : Nisi enim hoc verum esset, nulla generositas indiuiduorum vnius speciei præualeret, nec parentis natura fœtui imprimeretur, sed à communi natura, omnia indiuidua naturata forent, quod ita se non habet: Essentiam cuiusq; speciei omnibus eius indiuiduis esse cõmunem existimamus, non autem naturam ; hanc recipere magis & minus, illam non item: Quibus statutis, homo generat hominem secundum speciem, at Petrus generat Ioannem secundum naturam, ingenij valde acuti vel obtusi, corpore firmo vel ægro, staturæ longæ vel contractæ, & sic de aliis : Hæc enim lex est naturæ perpetua & ordinaria, vt gignat quiduis, in quo est, sibi simile, quo ad speciem & dotes proprias, à qua norma si discedat, non fit eius culpa, sed

ma-

materiæ vel inſtrumentorum inhabilitate vel quantitate peccantium, & dicitur error: Eſt autem in animalibus hæc propagationis communis ſeries, vti ex duorum ſexuum ſemine ex eorum corporibus deciſo, inque matricem coniecto generetur fœtus & animal vtrique parentum in ſpecie & natura correſpondens: In hiſce quoque eſt magna differentia: Quædam enim pariunt animal, quædam oua, quædam ſemina emittunt & ſoli per aquas exponunt: quædam coitu vtuntur, nonnulla fricatione externa corporum, vt piſces, quædam per os, alia auditu maris vel vento cõcipiunt: In vegetabilibus ſpermata ſunt hermophroditicæ virtutis, agentis & patientis ſimul: ſic & metalla habent ſuum peculiarem generationis modum, quo ab imperfectione ſui longo tempore ad perfectionem contendant, niſi impediantur à circumſtantiis, quo minus natura ſibi propoſitum finem aſſequatur, vt fit ſępenumero in diuerſis locis: Pręter antedicta de animalibus, Natura

quoq; aliam insistit viam, dum quasi priuilegia vsurpat de Regio illo & communi tramite discedendi, vt ad eundem generationis scopum & metã perueniat diuersis mediis: Animaduertimus enim animalcula quædã nasci ex sola putredine, nullo semine præuio, quod ex naturæ miraculis nõ immerito censetur: Si enim ea dicenda sunt miracula, quę admirationem merentur & extra naturæ semitas currunt, tum quoq; ille generationis modus iis asscribendus venit: Quid admirabilius, absq; patre & matre nasci ex materia naturali ad id disposita? Quid rarius & magis insolitum, quam in specie non interire, etiamsi nullus fœtus relinquatur ab vllis indiuiduis? DEVS, qui creauit omnia in principio, etiã sobolem illis inuenire posset absque natura, supernaturali ratione, verũ ipse Naturæ suæ vicariæ & hoc beneficiũ concessit, quo in aliquib. creaturis multiplicãdis & in specie conseruandis vti potest, absque præiudicio aut iniuria aliorum animalium;

quæ per bina ſemina parentis vtriuſque propagantur: Magnũ certe myſterium in vili materia exiſtit, quod nõ facile ab Intellectu humano perſpicitur aut penetratur intime: Per putredinem enim ſolã multa generantur animalia, qualia ſunt, mures in Ægypto circa Thebaidem, de quibus Diodorus Siculus ſcribit: Primos *Lib.1.c.2.* homines aſſerunt nonnulli in AEgypto editos ea coniectura, quod circa Thebaidem cum Nili ceſſauit inundatio, calefaciente limum ſole ab aqua relictum, multis in locis ex terræ hiatu multitudo muriũ oriatur, quaſi ab ipſo orbis primordio omnia animantia ſimiliter, ipſiq; homines geniti ſint: Eos autem mures ex putrefactione terræ viſcoſæ ſeu limi produci patet, quia inueniuntur plurimi imperfecti relicti, quorum anterior pars eſt murium forma, poſterior glebæ adhuc terreæ: Sic anguillæ dicuntur generari ſcopulorũ attritu, ſine coitu, ſine ouo, nec eſſe aliam earum procreationem: Aphias quoq; piſculos ex aqua & pluuia ge-

rari tradunt: Crabrones ex putridis equorum carnibus, ſcarabæi ex aſinorum, apes ex iuuencorum naſci feruntur, vt vermiculi in canum cadaueribus, in lardo, caſeo, in nucibus auellanis, pomis, pyris, ceraſis, prunis, ficubus, & pleriſq; aliis horariis fructibus: coſſus ligna, gurgulio frumēta vel fabas depaſcitur, ita vt cips fruges, trips ligna, ſic veſtes, Midas fabam: Cnips quoq; erodit ligna: galba vermiculus exilis naſcitur in æſculis: litta vermiculus naſcitur in lingua canis, qui ſi catulis eximatur, nec rabidi fieri, nec faſtidiū ſentire ſcribuntur: Blattæ amant tenebras, vitam lucemq; fugiunt, in balneis maxime humido vapore prognatæ: Mylochcs circa molas naſcitur, quoque de genere blattarum: tinea, libros & veſtes abrodit: Xylophagus idem eſt qui coſſus & cnips vel trips, albus & obæſus, nigro capite: naſcitur in carie lignorum; Hunc in Ponto & Phrygia comediſſe, luxuria eſt: Teredo quoque à terendo dictus, materias & tarmes vermiculus carnem exedit:

dit:raucæ vermes naſcuntur in radice quercus: In foliis quoq; quercuum inſtar gallarum parua poma enata, circa autumni initium vel vermiculum, vel muſcam vel araneam continent, quorum ſingula anni proxime ſequentis dicuntur eſſe præſagia, vt vermiculus fertilitatem, muſca annonę caritatem & aranea peſtem vel contagioſos morbos denotet: quæ cauſa videtur naturalis: Robur arbor gignit pilulas nucibus non abſimiles; quæ intus generant culices & quædam alia animalcula: In roſetis quoque ſylueſtribus fungi villoſi generati intus habent vermes: quis iam enumeret terræ lumbricos, & in homine, aliiſque animalibus varia vermium genera, in inteſtinis, cauis dẽtibus, vel putridis vlceribus, interius vel exterius generata; Vidimus in cane alterutrum renem vno longo lumbrico depaſtum, qui intus latenat: vermem quoque viuum cum vrina viri emictum; Ne alia trecenta eius generis huc ſpectantia & potius faſtidium alicui, quã delectationem,

pa-

parientia, recenſeam: Hæc omnia ex putrefactione fieri, nemo eſt, qui cõtradicere ei poſſit: Cum enim nõ ex ſemine aliquo præſuppoſito parentum ſuorum, ſed ex alio ſubiecto putrefacto ſecũdum partem vel totum, (humiditate ac caliditate accedentibus) nullam analogiam ſeminij habente, naſcantur, putredo ſola illorum ortus cauſa efficiens eſt: Matrix horum animalculorum eſt pars illa animalis vel vegetabilis, in qua generantur: Materia viſcoſa & pinguis calore præternaturali concepto ad putrefactionem diſpoſita: Efficiens ipſe calor putridus, qui humiditati iunctus putredinem cauſatur: Forma, quæ abſque dubio aliunde materiæ imprimitur, quam ab elementali calore: Verũ cum hæc adeo ſint vilia, vt non ampliori diſcurſu videantur digna, aut ita vulgata, vt nec egeant, conſideratione digniſſimam illam volucrem exiſtimamus, quæ in ſeptentrionalioribus inſulis Scotiæ, Orcadibus dictis ſatis eſt cognita & ex nullo parentum ſemine nec ouo pro-

prodit, sed admirabili prorsus modo, qualis vix in toto Naturæ theatro alias extet, generatur, alas acquirit, per aera volat & accolis illorum partium gratum nutrimentum præbet: Iucundum est scire hoc Naturæ miraculum quibus aliarum rerum causas indagare visum est indagare visum est operæprecium: Nec inutile hoc fuerit alteri cuicunq;, qui tamen ab intellectu excolendo non sit alienus: Multi lætãtur sua inscitia & præter vulgata nihil nouerunt, quæ non vt philosophos & rationales homines decet, sed veluti bos castellum aliquod, cõtemplantur; his nihil detractum velim: Nil enim confert amaricinum sui, nec musica graculo, sed iis, qui sunt ingenio docili, ceruice non dura, Musarumq; amantes, quibus hac nostra qualicunq; scriptione nos satisfacturos non dubitamus, cęteros pari precio, quo illi hęcce, æstimantes: Nam Plato vnus, vt illi philosopho, mihi fit pluris, quam istorum plurimi.

CAPVT III.

Quæ sit historia descriptionis huius volucris, tum ab aliis authoribus, qui eius meminerũt, tum à nobis ex oculari testimonio factæ.

SI quis legat in historiis, esse locum in mundo, vbi anseres innascantur, vt poma, arboribus, forte hæsitãs de authoris vel scriptoris fide dubitabit: Et si quis dicat, ab arboribus & vegetabilibus produci animalia, non vnius saltem generis, sed diuersi, partim volatilia, partim non; nisi mendacij stigmate inuri velit, satis habebit negotij, quod dicta demonstret: quod tamen facile fieri posse opinor ex iam ante relatis, vbi culices robori & muscæ quercui, nec nõ aliis arboribus seu vegetabilibus vermes innasci, experientia attestante, asseruimus: Quę licet minuta sint, in animalium tamen habentur numero, cum sentiant & moueantur; Verum primum illud, prout sonat, non

affir-

affirmauero; Nam volucres nidos quidem ſuos aliquãdo faciunt in arboribus, fruticibus, ſenticetis, & aliis vegetabilibus, at quod in ĥs creſcant pyrorum inſtar, prorſus incredibile eſt: Inſula quædam ex Canariis Ferro dicta, abſcondit fontem aquę dulcis (qua alias tota inſula caret) in arboribus ex mirabili Naturæ indulgentia, cum certarum arborum folia ex terra vel aere attrahant copioſiſſime aquam, quam reddunt ſua propria & naturali diſtillatione & incolæ vſurpãt pro potu; Si enim hoc dono carerent, tota inſula inhabitabilis eſſet hominib. & pecudibus; quia nulli ſunt fontes, at ſaltem Oceanus ſiue ſalum cingit eam vndiquaque: In his magna eſt Naturæ liberalitas, quæ etiam illis dat aquam, quibus aliæ circumſtantiæ denegarunt, veluti & Ægypto, vbi pluuia nulla cadit, Nili inundatione annuatim conſuluit, nec nõ aliis regionibus aliis muneribus: Sic quoque Orcadibus inſulis, illiſque vicinis locis hanc volucrem conceſſit, quam alibi inuenire

non

non licet: Et ſane ſi quis eam in arboribus naſcentem quæreret, omnes ſyluas pererraret, nec vllam inueniret; vt nec pyratæ apud Ferrenſes aquam, cuius inopia terram relinquere coguntur, nec in arborib. creſcentem animaduertũt: De hac aue, non omnino fabuloſa, tamen grauiſſimi ſcripſerunt Authores, in ſuis libris eius mentionẽ facientes, vt ſunt, Hieronymus Cardanus de varietate rerum, 36. cap. DuBertas in Septimana ſua, die ſexta, & 1. die ſecundæ ſept. Verum de locis & modo generationis non omnes conſentiunt: Munſterus Orcades his volucribus refertas tradit, Gyraldus de Hybernia, Dubertas de Scotia, quam Iuturnen vocat, veluti & Mela, ſcribit: Hector Boethus de Hebridibus idem refert: Quidam ex Gallis de quocunq; mari Heſperij tractus id intelligit, dum ita ait: Auis quædam generatur ſine patre & ſine matre, ſed ex ſola eſſentia ſimplicis vegetabilis, videlicet in prouincia Scotiæ ex arboribus illius regionis: Similiter, inquit, naues cõ-

fectæ ex ligno dictarũ arborum existentes in medio mari easdem aues producũt, & vocantur illæ aues gallice Marquerolle, quę comeditur facilime: Eiusmodi auis mentionem facit Plutarchus in tractatu, qui incipit; An ouum sit prius gallina? Hæc ille: Scoti vocant eas Kleckgues; Alij ita de iis scribunt; In insulis Orcadibus in Scotia maritima arbor est, quę supra amnium ripas enata fructum fert nonnihil annatibus similem, isque cum maturuit, decidit: Quod si in vndas cadat, mox animatũ enatat ex vndis & volucris est; putrescit vero cum in terram cadit. Alij eas vocant Bernacas, veluti in paruo mundi Theatro Irlandiæ adscriptæ appellãtur, & in hunc depinguntur modum: Sunt quoq; hic volucres Bernaces dictæ per Naturam admirabili prorsus modo contra naturæ seriem productæ, anatibus non absimiles, at iis minores: Nã ex lignis malorum nauticarum in Oceano natantibus primo protruditur aliquod gummi; deinde ex alga (maritimo

gramine Wier dicto) illis lignis vna cum pice adhærente conchulæ dependent, quæ temporis succeſſu alas accipiunt & per aera volant, aut decidunt in aquas & natant: Sæpiſſime vidi (inquit Sylueſter) magnam copiam horum Zoophytôn ad lignum penſilium, conchis incluſorum, eouſq; donec volare poſſint: Ex iis nulla oua, vt ab aliis volucribus eduntur, nec ex ouis excluduntur, ita vt aliquibus in locis hæ aues pro piſcibus comedantur, vtpote carnem nõ habentes, nec ex carnibus productæ. Hector Boethus hoc miraculum ſimiliter narrat de volucri, quam ipſe Clakis vocitat; Quod ſi, inquit ille, lignum in Oceanum circa Hebrides proieceris, ſuccedente tempore vermes in eo naſcuntur, qui corrodunt & excauant illud lignum, ac poſtea formam acquirunt volucrum, inque eam magnitudinem denique accreſcunt, vt inſtar anſerum volent: Generationem illarum aſſcribit Oceano, ab Homero & Virgilio patre omnium rerum appellato: Sed hæ diuer-

uerſorum authorum deſcriptiones inter ſe, nec cũ veritate rei in omnibus conueniunt: Quo ad locum, alij Scotiam, alij Hiberniam, quidã Orcades, nonnulli Hebrides aſſignant iis patriam, nec forte falluntur, cum in Oceano inter Scotiam & Orcades, & inter Hyberniam & Hebrides vtrobique naſci dicantur: Nec enim exiguo Oceani aut terrę ſpacio id includendum eſt, ſed toti illi tractui maritimo ad extrema Scotiæ & Hiberniæ extenſo appropriandum: De nomine quoque concordant, diuerſis enim gentibus diuerſimode eas appellari vero cõſentaneum eſt: Germani eas vocitant Baumgänſe/ ſic Galli, Hiberni & Scoti ſuis quiq; idiomatis: An vero ea vis aſſcribenda ſit ligno eius regionis, an arboribus, an vermibus ex ligno generatis in conchas tranſeuntibus, hic nõ iniuria quæri poſſet, veluti ante citati in has opiniones ſunt diſtracti? Sed nos ex his nulli aſſentiri poſſumus: Si enim ligno ſoli ineſſet ea virtus, quid ni & lignis eiuſdem ſpeciei pro malis

nauium vſurpatis, quibuſcunque in locis adeſſet? quod tamen experientiæ reclamat; veluti & illud, quod naues ex eo ligno confectæ in medio mari eas aues producant: Quis enim vnquam hoc audiuit in Gallia aut Germania ſiue etiam Anglia factum, etiamſi portus harum omnium frequententur ab incolis Scotiæ & Orcadum maritimis? Nec arboribus vegetantibus ibidem hoc acceptum referendum eſt; quia illæ non ferunt volucres, ſed fructus ſuæ ſpeciei conuenientes: Quod ſi decidãtur & alteri vſui accommodentur, deinde in Oceani aquas ibi locorum proiiciantur, vt putreſcant cariemque ſentiant, hoc eſt, quaſi emoriantur quo ad primam earum vitam & in materiam communem ligneam conuertantur, tum hanc nouam generationem animalium incipit ex influxu cœli, ſolis calore operante: Quomodo enim id quod vegetat, produceret animal volatile inſtar anſeris? An non quælibet arbor cognoſcitur ex genere ſui fructus boni

vel

vel mali, necnon ſpeciei ſuæ debiti? Et vice verſa, an non quilibet fructus aut fœtus teſtatur de genere ſui parentis, eiuſque ſpeciei? Imo, non geſtant arbores piſces, nec mare dat arbores: In ſyluis lepores, in verbis quære lepôres, non contrario modo: Vegetabile igitur genus non miſcetur animali, nec hoc illi in generatione; quodlibet manet in ſua tribu, quam non egreditur, niſi forte Natura putrefactionis beneficio vſa, leuicula in vegetabilibus (vt ante tradidimus) producat animalcula: Qui putant ex vermibus, metamorphoſi quadam, fieri aues, nec illi veriſimilem ſententiam, meo iudicio, dicũt: vnde enim conchæ ex Coſſo? At hæc ita intellecta velim, vt quod de ſingulis ſolis negarim, de omnibus coniunctis facile conceſſerim; Quia vero hanc rem nõ ex auditione cognouerimus, ſed oculis teſtibus ſupra 50. (fere centenas) viderimus eiuſmodi conchulas, iiſq; apertis fœtus auium exiguos, veluti ex ouo mox prodituros, cum omnibus membris aui ad

volandum necessariis, notauerimus & in manibus habuerimus, non erit omittendum hoc loco exactissimam earum descriptionem ponere; quæ sic habet: Si quando malorum nauticarum, pice illitarum portio in aquas eas Oceani in extremis partib. Scotiæ, nō procul ab Orcadibus aut Hebridibus deciderit, ibiq; aliquandiu iacuerit, cariem non solum sentit á vermibus intus generatis, sed quoque ab alga seu gramine marino vndiquaque tegitur: Eius enim graminis ibi est magna copia, quod omni ligno facile adnascitur, præsertim si piceam resudet pinguedinem, velutí mali nauticæ, quæ sunt abietes vel piceæ, resina picis sua natura abundantes, ac deinde in vsu nauium eadem imbutæ, vt nimirum carbasa veloci motu sursum vel deorsum duci, trahiq; possint, ne alicubi firmius adhærescant. Fert autem mare in fundo littorali hanc algam maioris vel minoris longitudinis, vnde certo tempore emergit, sursumque fertur in superficiem aquæ, fluctibus eam
quasi

quaſi euellentibus aut demetentibus: Hæc vt in aqua nata, non facile putreſcit, ſalinæ naturæ multum apud ſe habens; Ideo in Northollandia, aliiſq; multis locis ex eo gramine faciunt vallum munitiſſimum aduerſus impetum Oceani, ita vt remedium ab eo petatur, à quo morbus vel damnum infertur: Lignis itaque dictis malorum hac alga circuntectis, quæ ſe inſinuat in foraminula à carie relicta, ſucceſſu temporis ab altera parte cuiuſque graminis creſcunt cõchulæ exiguæ, quæ ſunt ſubalbæ vel onychini ſiue vnguis manuum coloris, & in forma, cauitate & oblonga figura vngui minoris digiti valde ſimiles; quarũ duæ ſi coniungantur inuicem ita, vt probe cohæreant, ſupremis partibus magis acuminatis accipunt algę extremitatem & ſunt firmiter clauſæ latioribus; quę poſtea aperiuntur, vt fructus maturatus ſua ſponte excidat ad volatum: Hac ratione mille, plures vel pauciores conchulæ adhærent ſingulæ ſingulis graminibus ad extre-

mitates, quę, vt dictum, altera extremitate alligantur lignis picatis tanta copia, vt lignũ vix videri poſſit: Gramina autem illa vix excedunt 12. digitos tranſuerſos ſua longitudine & ſunt firmioris ligamenti, tanquam eſſent ex corio: Aliquando ſunt longiora & ad pedes aliquot extenduntur: Hæc eſt tota deſcriptio externa; Nihil enim videtur, niſi portio mali nauticæ foraminibus carioſis excauatæ, quibus vndiquaque inſeruntur gramina marina, ad extremitatẽ alteram habentia conchulas vnguis minimi vel annularis digiti humani figura & colore: Intus vero ſi conchę aperiantur, apparent fœtus illi exigui, veluti pulli auium in ſuis ouis, qui habent roſtrum, oculos, pedes, alas, etiam piloſitatem incipientium pennarũ & reliqua omnia Embyronis volucris membra: Prout fœtus creſcit, ita & conchæ ſeu tegumenta eorum, quemadmodum in omnibus aliis oſtreis, conchis, cochleis, teſtudinibus & his ſimilibus domiportis contingit: De nutrimẽto quæri poſ-

ſet,

ſet, vnde illud acquirat? Reſpondeo, veluti reliqua huiuſmodi Zoophyta, partim ab aquæ parte dulciori, vel etiam, veluti conchæ margaritiferæ & oſtrea, à rore, pluuia, partim à ligni carioſi viſcoſa pinguedine ſeu oleoſa ſubſtantia, pice ſeu reſina: Hæc enim per gramina illa intermedia, tanquam per venas vmbilicales, fœtibus ſuppeditatur in nutrimentum; dum lignum illud per fluxus & refluxus Oceani hinc inde in aquis natat: Nec enim fieri poteſt, vt in ſicco illud manens eaſdem conchulas producat: Huius rei exemplum eſt in locis maritimis, vbi conchæ illæ nigri tegminis (Muſchelen) ſemper captãtur adhærentes lignis in aqua poſitis, vt pontium fundamentis ligneis, nauibus ſubmerſis; Adhærent autem lignis, filamentis quibuſdam piloſis ſeu muſcoſis, vel etiam alga: Vnde apparet nonnihil viſcoſæ humiditatis conferri conchis cuicunq; ligno (etiam querno) adhærentibus; multo magis abietino reſinoſo, ex quo conſtant mali nauticæ: Hoc enim li-

gnum calidius eſt, quam quernum, & ideo aereæ viſcoſitatis multũ poſſidet, vnde ignem facile corripit & vbi vulneratum fuerit, reſinam oleoſam ex vulnere emittit adhuc virens; ſiccum vero ſub aquis manens facilè quoque putreſcit; quercus econtra, quia frigidæ & ſiccæ eſt naturæ, reſiſtit diutius putredini, & ſub aquis lapideam fere acquirit duritiem.

CAPVT IV.

Quod ſoli Oceani vel aquarum fœcunditati huius volucris generatio non ſit aſſcribenda, & quæ cauſæ eius, Efficiens & Materialis, habeantur.

SI quis conſideret diuerſitatem & copiam immenſam piſcium ſeu animalium, quæ in Oceano ac maribus paſſim naſcuntur, nõ poteſt non fateri Elemento aquæ ineſſe miram fœcunditatem, quod producat non ſolum animalium maxima, veluti cetos (quorum nonnullos ſexcentorum

rum pedum longitudinis & trecentorum latitudinis intrasse in flumen Arabiæ testatur Plinius, lib. 32.) sed etiam tantam abundantiam & varietatem, vt 176. genera saltē in mari viuentium idem author recenseat, exceptis fluuiatilibus: Admirari inprimis liceat concharū marinarum summam pulchritudinem & diuersitatem tantam, vt meminerim, me Roterodami apud clarissimū virum Petrum Carpenterium, Anno 1611. vidisse forte mille earum formas tāta copia, vt magnam cameram illis, tanquam preciosis thesauris & spectandis naturę miraculis, instruxerit & exornauerit: Has esse luxuriantis naturæ insignia, quibus ingenij sui vbertatem attestari velit, non est dubium : Ad decus enim & ornatum mundi potius ea spectare, quam ad necessitatem hominum dixerim, in quibus & formarum & artificij varietas affectata videatur: Inde quoque Oceani fertilitatem miram deducere possumus, vt qui terris in animalibus & Zoophytis generandis

non

non ſolum non cedat, ſed quoque anteferatur ex Naturæ benignitate: Quod cum animaduerterint antiqui, Neptuno, qui Oceano præeſſe ſtatuebatur, innumeros fere liberos aſſcribunt ex diuerſis nymphis pellicibus natos, inter quos eſt Triton & Protheus, quorum ille concham inflans tubicen eſt Neptuni patris, hic in varias formas, ignem, ſerpentem & his ſimiles mutatur, non obſcuro documēto, Oceanum eſſe variarum formarum productorem: Hiſce cauſis moti fuere illi, qui huius quoq; volucris Orcadiæ generationem ſoli Oceano aſſcripſerint, tanquam fœcunditatis & rerum diuerſitatis authori: verum quam recte id fecerint, videndum erit: Conchas varij generis pulcherrimas ab eo produci non negamus, ſed ex Naturæ omniparentis inſtinctu & influxu, ita vt ſaltem domicilium & materiam rebus generandis præbeat Oceanus, non autem formam ac cauſam efficientem: Piſces quotquot ſunt, paucis exceptis, ex ſeminibus alio-

aliorum generantur, secundum Naturam, de quibus hic nihil in dubium aut quæstionem vertimus: An vero tot conchæ ex semine suorum parẽtum quoque oriantur, siue non dubitare licet: De volucri prædicta, quod non fiat ex ouo (vt solent aues) nec ex semine, constat: Vnde igitur? an ex Oceano, aut num causa Oceano imputanda? Minime: Etsi enim locus dicatur generare locatum, hoc tamen intelligendum est de matricibus, quæ sunt generationis causa, sine qua non, non autem efficiens, multo minus, formalis, materialis, aut finalis, & non de quocunq; continẽte generali: Vt autem huius mirifici animalis naturam exactius scrutemur, quatuor illa causarum genera percurremus, nil dubitantes his, vt decet, perlustratis, Quid, cur & vnde sit, facile cuique constiturum: Efficiens itaque huius generationis *Causa Efficiens.* est calor tam externus, qualis à sole diffunditur in hæc inferiora, quam internus, in materia putredinalis: Sine calore enim nulla fit naturæ gene-

ne-

neratio, quæ eo tanquam præcipuò vtitur instrumento, quo homogenea congregantur, heterogenea separentur, membra & viscera in animalibus formentur & disponantur suo ordine & figura. In artificialibus, quæ fiunt hominum industria & arte, sunt varia organa, vtpote manus, quæ organorum organum non immerito dicitur, malleus, incus, lima, vel securis, terebra & his similia, quibus opera mechanica perficiuntur; In naturalibus saltem vnus est calor, vt instrumentalis efficiens, & mouẽs illum est Natura, vt in iis artifex: Calor externus internum in actum ducit, sine quo hic inefficax foret & quasi torpore conclusus in materia: quemadmodum etiam in viuis quibusdam animalibus apparet, quæ ingruente hyeme ac deficiente calore externo, ipsa veluti sopore detenta & quasi mortua delitescunt, veluti sunt hirundines, ranæ, muscæ, & id genus alia; quamprimum vero solares radij aquam & terram calefecerint, mox apparent hæ omnes, vitam

suam

ſuam ſolis calori debentes beſtiolæ: quarum quoque in æſtu maiori maior eſt efficacia volatus & coaxatus, ceu conſtat ex muſcis & ranis: Quã- tum ad calorem, Sol magnum mundi lumen eius pater eſt, eumque mittit in terrena omnia, quæ viuificat & illuſtrat; Vnde dicitur, quod ſol & homo generent hominem, nempe per ſpermata media; alias quoq; abſque mediis illis procedit, vtpote in iis, quæ ex ſola putrefactione generari ſuperius receſuimus: Dum enim calor externus Solaris vel etiam Elementaris ambit aliquod mixtũ corpus, in quo ſit calor naturalis incluſus, hic ab illo excitatur, mouetur & ad operãdum ſuas actiones acuitur, veluti patet in ouorum excluſione tam per artificialem calorem furnorum, quam naturalem gallinarum: In his calor naturalis latet, videlicet in vitellis, qui per externum irritatur & mouetur ita vt Elementorum circulatione facta, aqua in aerẽ, aer in ignem, ignis in terram, terra in aqua mutetur & pulli membra & viſcera

ſcera à calore naturali diſponantur & fiant, qui eſt præcipuum agens internum. Cauſa materialis in hoc generando fœtu anſerino eſt viſcoſum illud ſubiectum ligni dicti abietini, ſiue reſina oleoſa & picea ſubſtantia, in quã operatur calor externus ſolis & internus putredinali auctus: Hæc materia etſi ſit exigua, valde tamen primum rudimentum huic Embryoni præbere poteſt, qui deinde nutritur Oceani ſubſtantia viſcida, veluti oſtrea & alia concharum genera creſcunt & augmentantur: Nec vero ipſa dura lignea ſubſtantia, nec graminea, quid materię illi pręſtat, quarum illa vt continens, hæc vt tranſmittens veram materiam animaduertitur: Vt enim nec matrix, nec vena vmbilicalis in generatione hominis quicquam materiæ præſtent, ſed vt inſtrumenta neceſſaria requiruntur alias, ſic quoque hic ſentiendum de ligno & gramine marino: Aliqui volunt ex vermiculo in putrido ligno enato, vt dictum, tranſmutationem quandam fieri, eumq; ma-

Cauſa materialis.

teriam

teriam huic generationi primam ministrare, quorum ſententia tamẽ recipienda non eſt: cum vermiculus ille nec ad extremitatem graminum prodire, nec ſibi conchas fabricare poſſit; ſed oportet, vt illud vitæ ſuæ initium capiat in dicto loco extremitatis graminis, nec aliunde eo affluat, ita vt migret de loco ad locum animali motu antequã eſſentialem ſuam formam recipiat: Plinius de Pinnothere piſce ſcribit, quod ei tãta ſit ſolertia, vt ſe inanib. oſtrearum teſtis recondat, & cum accreuerit, migret in capaciores: Tale quid velle imaginari de coſſo illo, ſeu vermiculo lignum exedente, cũ rei ipſius natura non conuenit: Materiam vero illam reſinoſam vel piceam communicari poſſe extremitati propendentis graminis non eſt dubiũ, quod naturæ tamen artificio, nec ad ſenſum hominum perceptibili, fieri neceſſum eſt, veluti alias natura in omni generatione ſecretis viis & mediis vtitur, quæ magis per rationẽ, quam oculos indagantur: Quis enim vidit,

quomodo cor in generatione animalis primo fabricetur, quibus fibris & venulis ibi natura, vt instrumentis vtatur, quomodo & per quæ media hoc fiat, factũ reliqua viscera disponat & faciat ex materia seminali & menstruali? Nemo adeo Lynceus inuentus est, vt sensu hæc, dum fierent penetrarit; cum vero facta fuerint, ratione ita esse quilibet æstimare potuit: Sic nullus perfectissime scire poterit, quomodo hęc materia, quæ prius fuit in ligno humidum radicale, transeat ad extremas partes illius graminis marini, ibiq; formam suam acquirat; nihilominus constat postea, hoc factum esse: Nec vero id erit adeo difficile, cum per cõtinuatã gramina facilius illa materia vsq; ad extremitates illorum fluere possit, quam per nulla intermedia corpora.

Capvt V.

Quod causa formalis huius fœtus sit virtus astralis materiæ præparatæ infusa, & quæ finalis.

SEd maioris vt difficultatis, sic operæ est precium indagare huius admirabilis ortus causam formalem seu seminalem, quæ cum in seminibus pręhabitis non contineatur (hęc enim nulla hic habētur) necessarium omnino est, quod aliunde influat materiæ præter communem generationis modum: Nam semina, quæ ab vtroque animalium sexu conteruntur & in coitu miscentur, sunt tanquā thecæ & vaginæ virtutis formatricis & spermaticæ, quæ format materiam præiacētem spermatis vel sanguinis in essentialem formā conuenientem illi speciei, cuius sunt semina, quocunq; modo mista vel in actum producta: Vis autem illa naturæ est benedictio à Deo creatore ei concessa in verbo, crescite; quod verbum nunquam inane vt fuit, sic

necerit, donec mundus constabit: Dixit Deus & omnia quæ dixit, facta sunt valde bona, in se ipsis principia multiplicandi suam speciem continentia, vbi indiuidua pereant: Cœlum cũ suis stellis ab initio ad finem perdurabunt & elementa integra, aer, aqua & terra, sed ex his composita, vt intereunt, sic per multiplicationem seminis redeunt, nõ quidem eadem numero, sed specie, non forma externa, sed interna & essentiali: Verum cum Deus hanc propagationem Naturæ sublunari commiserit, atq; hæc mediate procedat semper, quamuis in hoc generando fœtu visibilia non adsint semina, à quib. forma materiæ suppeditetur, quocirca naturæ & rationi congruum est, formã tamen aliunde in materiam profluere, ne quid ex nihilo post primam creationem fieri contra Dei voluntatem videatur: Nihil enim seipsum efformat & sui ipsius causa est, præter æternum & infinitum Deum; cętera omnia ex nihilo quidem facta sunt ab illo, at non à seipsis, nec pro-

pa-

pagantur ex nihilo, nec à ſeipſis, ſed per media naturæ præſcripta: Plato Ideas conſtituit vniuerſales cuiuſq; ſpeciei generabilium in certo loco fixas, vnde deſcendat vis formatrix ad cuiuslibet ſpeciei indiuidua formanda ſeu generanda; Quæ opinio pulchra vel iucunda quidem eſt, at veritati reclamat: Nullæ enim ſunt vel eſſe poſſunt ſubſtantiæ vniuerſales extra intellectum, at ſaltem indiuidua, quæ quod non habent, dare nequeunt, aut quod dant, non ſemper ipſa poſſident: Natura eſt in omnibus rebus ſeu indiuiduis vniuerſim perfuſa, quæ tamen in ſingulis ſubiectis operatur ſecũdum ſubiectorum conditionem & requiſitum, quod verum eſt in omnibus ſemina habẽtibus, cum illa ſint ipſa ſubiecta & vaſa naturæ, in quę operatur; ſed iam quæritur, quomodo ea vis ſeminib. imprimitur & vnde, an ab ipſa natura? quod ſi verum, Ergo ex qualibet materia facit, quid velit, cum cuilibet materiæ formam, quã velit, imprimere poſſit; Et deinde quomodo

natura in hoc animali, quod nullum seminium visibile presuppositum habet, generando procedat, & in similibus aliis ex putredine sola natis? Vt in homine est vis cogitatiua seu imaginatiua, quę fit subtili quodam artificio imaginum in cerebro conceptarum à sensuum organis incipiendo & ad interiora cerebri locomotiue procedendo; absque vero loci mutatione, cœlum, longissime distãtia, quæ olim visa, cogitata aut facta sint, rememorando; ita in sole & cœlo, ipsique affixis stellis consistit quędam virtus imaginatiua, non passiua, vt in animalibus, sed mere actiua, quæ loco motiuæ inde profluit ad sublunaria & communicatur certis subiectis, vtpote seminibus indiuiduorum, & hæc est forma, omnis generationis inceptrix & auctrix, essentiam cuilibet rei communicans, vt sit talis & non alia: Hæc vis est primum mouens, fabricans suum subiectum, velut architectrix, & constituens sibi domum, in qua habitet, quam gubernet ad eum finem, cui à

Causa formalis.

na-

natura artifice aſſignatur: Illa eſt virtus ſpermatica, quæ reſidet in corpore ſpermatis, ſine qua hoc eſt ſterile & inane, nec vllam generationem promouet; Hæc ſi euaneſcat tempore, vel contritione ſui continentis, nullus inde fructus ſequitur, vt patet in frumentis, quę ſi ſeneſcāt, aut in farinam redigantur, ſe propagare amplius nequeunt: At cur hæc potētia in eo corpore reſidet potius, quam in alio, nec mox perit? Reſpōdeo; Non alia hic quęrenda aut danda cauſa eſt, quam quod natura his mediis gaudeat, & eam virtutē concluſerit, ne abire poſſit, ſi naturæ ſit obediens; quā, ſi voluiſſet, aliis ſubiectis indidiſſet: Admirabile eſt, ꝙ ſpiritus animales neruis in homine contineantur, nec ex illis abeant in auras, & quod iiſdē neruis compreſſis à tranſitu impediantur, vnde ſtupor & paralyſis ad tempus toti brachio vel pedi accedit, quæ ſpiritibus per neruos ſuccedentibus mox tollitur: Eundem ad modum virtus ea imaginatiua cœleſtium corporum,

inprimis ſolis, ſi indiuiduis quibuſdam ſubiectis ſeu ſpermatib. rerum immittitur, naturaliter manet in illis ad naturæ nutum & libitum: At vbi ſemina nulla adſint, tum eadem virtus cœli communicatur materiæ cuidam certæ immediate, veluti in hac generatione, ſubiecto illi viſcoſo & pingui, de quo pręcedente capite, tanquã de materiali cauſa diximus: Sunt enim duo in ſingulis ſpermatibus, materia elementalis, & forma aſtralis, quarũ vltima perire poteſt, materia & forma externa integre permanente; nihil autem generari ex materia, forma aſtrali perdita: Materia in hac generatione tempore prior eſt forma & eam recipit influentem, quamuis antea neq; omnino aliqua forma orbata ſit, vt de materia prima intelligi poſſit, ſed ſubſequens forma priorem ſi non tollit, tamen perficit: Verum quæri poſſet, cur hæc vis formalis, exempli gratia, formandæ volucris, non omni materiæ aut cuicunq; immittatur, cum abſque vaſis certis ſeu corporibus ſper-

ſpermatum ea recipiatur? Reſpondeo, Ea materia ita præparata in ligno tali & non alio, inque loco dicto & non alio, vicem ſeminalis corporis pręſtat, cuius qualitates cum non inſint alteri, hinc neq; aliud ſubiectum eius virtutis formalis certæ & determinatæ capax eſt: Huiuſce imaginationis ſeu influentiæ cœleſtis paſſim exempla ſunt obuia, nempe in quibuſdam locis comitatus Mansfeldici, vbi mineræ æris in lapide ſciſſili exprimunt omnis generis piſces, eorumque formas, qui in proximo habētur lacu: quemadmodum & dentes, cornua, integros leones à natura formatos in ſpeluncis ſubterraneis, vt in Baumans Loch/ & aliis videre licet: In ſuccino quoque, quod fluctibus marinis in Boruſſia ad littora inſulæ Sudauiæ, nunc dictæ, eiicitur, variæ formæ muſcarum, culicum, araneorum, papilionum, ranarum, lacertarum, & aliorum animalium apparent nō quidem reipſa, ſed ex ſola imaginatione cœli illis ſubiectis impreſſa: Si.n. per inciſionē aut fractio-

nem eæ quærantur, vacua esse spacia sic colorata ex naturę lusu inuenientur; nihilominus omnia membra & particulæ adeo sunt ad viuũ expressæ, vt quis iuret, reuera animalcula talia fuisse iis materiis recõdita, forte tum, cum gummi adhuc liquidum fuerit succino inuoluta; quod tamen longe aliter se habet, cum nihil terreni aut non pellucidi in illis figuris concauis reperiatur, quod tamen secus fieri deberet, cum substãtia corporea euanescere nequeat remanẽte eius sola forma superstite: Adhæc si animalcula talia in gummeam eiusmodi substantiam, vt est terebintina vel resina, incidisset, alæ vel pedes eorum inuiscati apparerent & non integre extẽsi aut directi, quod hic non ita fit, sed omnia integra videntur, veluti per Christallinã pelluciditatem: Deinde si ex arboribus illud in aquam decideret, arbores illæ non essent ignotæ: Plinius lib. 37. cap. 2. & 3. de succino tradit hoc modo: Pytheus, inquit, Guttonibus Germanicæ genti accoli æstuarium Ocea-

ceani prodidit Mentonomon nomine, ſpacio ſtudiorum ſex millium: Ab hoc diei nauigatione inſulam abeſſe Abulum. Illo vere fructibus aduehi ſuccinum & eſſe concreti maris purgamentum: Incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximiſque Teutonis vendere. Huic & Timæus credidit, ſed inſulam Baltiam vocauit: Mithridates in Germaniæ littoribus eſſe inſulam ait vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſyluoſam, inde defluere in petras: Certum autem eſt gigni in inſulis ſeptentrionalis Oceani & à Germanis appellari gleſſum, itaq; & à noſtris vnã inſularum ob id Gleſſariam appellatam, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtrauiam à Barbaris dictam. Affertur à Germanis in Pannoniam maxime prouinciam: Inde Veneti primum, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Sexcenta fere millia paſſuum à Carnunto Pannoniæ abeſt littus illud Germaniæ, ex quo inuehitur, percogni-

gnitum nuper. Vidit enim Eques Romanus, missus ad id comparandum à Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui hæc commercia & littora peragrauit, tanta copia inuecta, vt retia arcendis feris podium protegentia succinis nodarentur; arma vero & Libitina, totusque vnius diei apparatus esset è succino: Maximum pondus is glebæ attulit 13. librarum: Hæc Plinius. In succino vero, vtpote pellucido, ea figura incorporea ex imaginatione cœli infusa, facile apparet, in aliis opacis corporibus non item: Vti nec in materia ligni dicti, cui non solum figura auis, sed etiã vis naturalis spermatica eam formandi, nutriendi, augmentandi & in vitæ functionibus conseruandi, vt in aliis auibus, implantatur: Cum vero non ex traduce seminis aut oui propagetur, nec semen nec ouum relinquit, ne plus alteri det, quam acceperit à natura: Si enim oua generaret in pullos exclusibilia, ipsa quoq; inde prodiisset, quorum neutrum vero applaudit:

Quem-

Quemadmodum enim mulus nõ est natus à mulo, sed mixto genere equę & asini, sic nec gignit mulum, sed sterilis permanet, ita & dicta auis: Apes ex vermibus nascuntur, vermes in fauo ex melle ex naturæ mirifica operatione, licet absque sensibili seminis corpore, non tamen absque virtute seminis per apes fauo impressa, cœlitus primum recepta: Nec vero possibile est has virtutes spirituales & efficacissimas à nudis Elementis prodire, aut sola propagatione cum materia seminis, quę ex alimento & sanguine fit, extendi in infinitum posse absque sui diminutione, cum anima aduertamus, Elemẽta fere esse mortua & saltem receptacula materialia virtutum formalium, & materiam seminis ex iisdem Elementis suppleri indies & coaceruari; Ideo necessum est, quod quotidie affluat vis formalis in semina formata, vel in eorũ defectu, in materiam à natura præparatam per putrefactionem, vel alias operationes: Vnde Forma huius mirabilis fœtus facile deducitur,

quod

quod nempe ſit virtus cœli aut ſolis imaginatiua actiue infuſa materiæ viſcoſæ ligni illius in illis locis ita per putrefactionem diſpoſiti, vt eam viuificet, & in nouã ſpeciem Zoophyti ſeu volucris in concha concluſę promoueat, quæ vbi deciderit in aquas natare & volare, pennis accretis poſſit. Finalis autem cauſa eſt communis Ornatus mundi, Naturæ admirabilitas & varietas, vtilitas hominũ accolarum. Et inprimis Dei Opt. Max. prouidentia, omnipotentia & clementia, quæ ex hac creatura æque, vt ex aliis humano generi innoteſcũt, dum annum coronat ſuis dotibus & orbem terrarũ diuerſis creaturis, vt longe potentior ille in creando & producendo varias animaliũ ſpecies fuerit, quam nos habiles ſumus in exprimendo, nominando aut cognoſcendo illas: ſatis ſit nobis aliquam DEI magnalium partẽ vidiſſe aut luſtraſſe, cum non omnia capere homini mortali ſit poſſibile, nulla vero velle conſiderare beluinum ſit.

Cauſa finalis.

Capvt VI.

Quod finis proprius huius volucris generationis sit, vt referat duplici sua natura, vegetabili & animali, Christum, Deum & hominem, qui quoque sine patre & matre, vt illa, existit.

ESse quoque & alium finem tam admirando fœtui propositũ nullum est dubium, qui vix vlli animalium cum illo communis est: De Alcyonibus narrant, quod septem diebus nidificent ante brumam & totidem sequentibus pariant, quo tempore esse Alcedonia, de quib. Ouid. lib. 11. Metam.

Perque dies placidos hyberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis,

hoc est, tranquillitatem maris & serenos dies: Pariturae autem Alcyones nidum instar conchæ spinis incredibili duritia subtexunt, deinde ad

ad mare deferentes vndis imponũt, atque illis ſe conſtipantes dum vehuntur, fœtificant: Aiunt quoque dum procelloſum eſt mare, ſi Alcyonum oua iniiciantur, trãquillitatem induci, & cutim cum pennis illi aui detractam, & ad parietem appẽſam ſingulis annis recuperare pennas amiſſas & quaſi de nouo reiuueneſcere: Ex quibus concludunt eccleſiam DEI aſſimilari Alcyonibus, dum in mediis mundi fluctibus & tyrannorum furoribus grata Alcedonia experiatur: Sed Orcadiã hanc auem non tam Eccleſiæ, quam eius ſponſi aut capitis, nempe Chriſti, imaginem referre hic demonſtrabimus: Abſq; patre & matre hæc volucris naſcitur; Ita Dei filius (ſi liceat illi terrena comparare) patrem non agnoſcit in terris, nec matrem in cœlis: Ad eius conceptionem ſola virtus aſtralis, abſque ſemine maſculo ſufficit; Sic ad huius Spiritus Diuini potentia: Quod illi eſt materia ligni putrefacta, ſeu viſcoſior pars, id Dei filio humana mater eſt, virgo ante & poſt par-

partum: Naſcitur autem Zoophyton, hoc eſt tam vegetabile quam animal; Chriſtus homo & Deus, duarum naturarum in vna perſona particeps: Atque hoc myſterium mundo incognitum, & non niſi figuris & allegoriis expreſſum fuit, nũc autem nobis ex diuina gratia per verbum eius reuelatum; cum quo & hæc pictura Orcadiæ volucris optime conuenit: Si eſſe hunc finem proprium huius volucris arboreæ dicamus, nõ multũ à ſcopo aberrabim⁹: Si piſcem volantem, vel concham pennatam quis hanc nominauerit, nil falſi proferet; ſi carnes habere aſſeret, neque mentietur; Et piſcis & caro eſt, pendetque ab arbore putrefacta: à qua poma pependere abiegna: Abietis autem, quæ quaſi materiam primam dat huic fœtui, natura eſt, vt ramos habeat in cœlum tendentes non in altera pronos: Cacuminibus ramorum deciſis moritur, totis vero detruncatis durat: Sic hominis, vt ad cœleſtia eleuetur: Renititur illa põderi in tranſuerſum poſita, nec rum-

pitur, antequam carie deficiat, cui resina vitium eſt: Humanũ ita eſt aduerſis reſiſtere, nec mortalibus tam onus crucis, quam luxuria nocet: In ligno humana imbecillitas originem duxit, in ligno expiata eſt per eum, qui de cœlo venit & in arbore paſſus arboris iniquitatem ſuſtulit, hoc eſt, qui peccati omnis expers & inſons hominum peccata in humeros ſuos tranſtulit & portauit, inque Oceani profundum demerſit, vt cœlum terræ, virtutem aſtralem ligno carioſo & Deum homini conciliaret. O immenſa DEI benignitas & in humanũ genus effuſa miſericordia, qua illud perire non ſuſtulit, ſed Remedio inaudito, vnico & Panchreſto priſtinæ ſanitati, hoc eſt æternæ ſaluti animæ reſtitui voluit, miſſo ad hoc vnigenito ſuo filio, vt victima fieret & lytron æquiualens ſuæ Iuſticiæ æternæ, quę præiudiciũ lapſu primi hominis contra vetitum ruentis ſenſerat & ad iram, non niſi ſanguine & morte omnium in vno peccantium pacandam, declinauerat: O inenarrabilis ſapien-

pientia & prouidentia Diuina, quæ hominem liberrimæ voluntatis à iusticiæ norma aberrantem ab æterno statuit saluare, vt & iusticia & misericordia summi Numinis in vno subiecto, diuerso respectu, humano generi innotesceret: Saluator itaque seu mediator inter Deum & hominem fuit Deus & homo; Patrem terrenum non habuit, ne labe originali inficeretur; matrem diuinam non agnouit, quia Deus æternus esset à patre Deo genitus ab æterno, ita vt gignens & genitus in persona saltem, non in essentia aut numero Deitatis inter se differrent: Homo fuit, ne alieni generis agnosceretur, sed humani, pro quo satisfacere debuit; Deus, vt posset præstare, quod præstandũ erat, nempe esse ab omni peccato immunem, mori & pati secundum humanitatem, viuere & resurgere propriis suis viribus secundum diuinitatem; quæ omnia facta sunt, & sic homini peccatori per hominẽ non vllius peccati consciũ ad Deum per Deum aditus apertus est, qui in-

terclusus fuerat valuis & repagulis adamantinis nostræ culpæ, non patefaciendis nisi solo sanguine mediatoris: Vt enim adamantes durissimi cedere dicũtur sanguini quorundam animalium, ita & Christi sanguis eam efficaciam habuit, vt cœli portas seratas aperiret & solum polo inferret, terramq; inter astra reponeret, hoc est, nostram carnem Diuinitati coniunctam redderet: Nemo in hac aue tam vilis originis hãc imaginẽ videret, quæ non in mundi preciosissimis rebus animaduertitur: Deus enim Maximus per minima quoque adumbrari & laudari voluit, vt magna præ mundo habita vilia apud Deum esse, æstimentur: Quicquid mundani crepant, id oportet esse pyropis & carbunculis splendidũ, honorificabilitudinitatibus plenum, magni nominis nec monasyllabicæ (quod seruile est) appellationis; Apud Deum vero humilitas extollitur & elatio deprimitur, magna sunt parui & quædam parua magni pretij: In illa autem septentrionali vo-
lu-

lucri hæc humanæ Diuinitatis idea perſpicitur ſolummodo, nec in aliis, nec alibi, vt hieroglyphica eſſet ſcriptura etiam remotiſſimis à medio mundi gentibus, ſi modo oculis animi notarent, & teſtimonium viſibile, non ſolum Eccleſiæ ſuę conſeruatæ, vt ibidem in alcyonibus adumbratur, ſed etiam Dei-hominis, ſeu Mediatoris Chriſti, vtramque, Diuinam & humanam, naturam habentis: quam vt agnoſcamus tam ex naturæ miraculoſo opere, quam hiſtoriæ diuinæ monumento & Chriſtianum & philoſophum maxime decet.

Capvt VII.

De agno Tartariæ, vegetabili-animali ſeu zoophyto hiſtoria, quatenus veriſimilis & admirabilis appareat.

Plurima eſſe in rerum vniuerſitate, quæ non minus rara & miraculoſa videantur, quam hæc auis arborea, nullus, niſi omnium rerum

ignarus, dubitare poteſt: Cœlum enim & terra nil niſi miracula loquũtur, ſi modo homines non ſint ſurdaſtri, aut aliis rebus intenti: Omnia illa velle eloqui aut ſecundum dignitatem exprimere, magni libri Mundani futura eſſet non minima portio, multis voluminibus conſtans: Tantum hic nobis non ſumimus, qui ſaltem mirabilem fœtum huius auis cõtra communem naturæ modum generatę, & quę huic aſſimilantur nonnulla depingere conſtituimus: Cum itaque cauſas potiores illius dederimus, nunc ad alia progrediemur, quorum generatio plane eſt mirabilis, ideoque homini cognoſcenda, vt per raritatem & admirabilitatem ad ſciendi deſiderium, quod omni rationali naturaliter ineſt, excitetur: De zoophyto ſeu planta, quę animali aſſimiletur ſunt, qui ſcribunt hiſtorici ac rerum admirabilium obſeruatores, inter quos Dupartas in 2. opere primæ diei, Sigiſmundus Baro de Herberſtein & author parui theatri mundi: Baro iam dictus ſcripſit hi-

hiſtoriam Moſcorum & Tartarorum in qua etſi nonnulla in dubium vocentur ab aliis, tamen in hoc naturæ miraculo conueniunt cum eo quotquot illus tractus Tartaricos percurrerunt ac depinxerunt; Non procul, inquit ille, à Caſpio mari, inter fluuios Volgam & Iaick habitant quædam Tartaricæ gentes: In harum regione res rariſſima & fere incredibilis reperitur, de qua Demetrius Daniel apud Moſchouitas fide digniſſimus vir, narrauit, quę ſequuntur: Patrem ſuum veluti legatum à magno duce Moſchouiæ ad regem Zauolhenſium, qui in iam dicta regione dominatur, miſſum, vidiſſe, intra id terræ ſpaciū, genus quoddā ſeminis melonum ſemini perſimile, niſi quod paulo maius & rotundius eſſet, quod cum terræ infigitur, generari inde plantam agno conformem, duorum fere pedum altitudinis à ſuperficie terræ, eamque vocari idiomate ibi vulgari, Bonaretz, quod agnellum ſignificat: Nec vero abſque cauſa hoc nominis obtinet: Habet enim caput,

oculos, aures, & omnes alias partes, veluti agnus, recens natus; Habet quoque pellem admodum tenuem, qua multi inquilini vtuntur pro sub- texẽdis pileis seu mitris: Quam plures retulere mihi, se id vidisse: Præterea addebat, hoc zoophyton habere sanguinem, sed nõ carnem, cuius vice substantiam quandam cancrorum carni persimilem obtinere; vngues etiam non corneos, sed ex pilis seu filamentis herbæ factos, qui vngulis intersectis agninis per omnia assimilẽtur: Radix inseritur vmbilico, aut medio ventris: Depascit herbas, quæ circum circa crescunt, ac tam diu viuit, quo ad illæ perdurant, quibus detractis, radix arescit: Admodum dulcis est planta, ideoq; lupis valde expetita, aliisque feris: Idem Baro addit; quantum ad me, quamuis pro fabulosis acceperim omnia, quæ de hoc Bonaretz referuntur, tamen cum eadem recitari audiuerim à viris fide non indignis, tradidi, vt supra; idque eo lubentius, quod meminerim, me audiuisse à Wilhel-

mo

mo Postello, viro multarum rerum scientia prædito, quod perceperit à quodam Michaele dicto, interprete legati Turcici apud Venetos, Arabicam linguam optime cognitum habente, se vidisse ex regione Samarcandiæ, Tartariæ oppido, aliisq; locis mari Caspio propinquis allatas quasdam subtiles pelles plantarum, quæ in iis ditionib. crescunt, ad Muselmannorum pileos subtegendos & pro pectoralibus idoneas: Dicebat hanc plantã vocitari Samarcãdeos & esse zoophytõ seu vegetabile animale verissimum: Hæc ille. Quæ omnia non est verisimile esse ficta & fabulis similia, cum à diuersis authoribus relata sint: Quod autem à nonnullis fides hisce denegetur, hoc fit maxima ex parte ideo, quia rarissimi ex nostratibus eas terræ partes perlustrauerint à Tartaris habitatas inhumanissimis, nec facile peregrinanti, (vt nec Moschouitæ) liberum conductum aut transitum concedentibus: Habere quidem hanc plantam similitudinem agni quoad partes ex-

ternas, referunt, ac nonnulla accidentia animalibus communia, at nihilominus ſenſu & motu deſtituitur, quibus animalia à vegetabilib. proprie diſcernuntur: Non mirum eſt, quod nutriatur herbis ſibi proximis, cum id fiat modo vegetabili per radicem terræ inflixam, non animali per os: Sunt qui animal dicant inuerſam plantam, idq; non abſque ratione: Quod enim os & venter eſt animalis, id radix & truncus eſt plantæ: radix per fibras & venulas terræ inſperſas ſuccum omnem conuenientem ad ſe trahit & trunco, veluti ventriculo, confert, vnde poſtea diuiditur per ramos & germina, folia & fructus, tanquam in animali venę meſeraicæ ad ſe optimam aſſumptorum alimentorum & ad ventriculũ tranſmiſſorum, ibiq; digeſtorum partem alliciunt, quam Epati per portam, dictam ita communem venam, commendant: Epar vero in ſanguinem, quod ad ſe miſſum eſt, vlteriori concoctione mutat; ac deinde per venã magnam ſeu cauam venis totius corporis

poris communicat. Inprimis autem hęc planta inuersum animal dici poterit, cum omnia animalis membra habeat, nisi quod sensitiua & locomotiua virtute careat; cuius vice radici innititur, per quã velut Embryo agni vel hominis nutrimentum attrahit, in totum corpus dispergendum: Non autem est credibile, esse quasdam partes visceribus internis animalis correspondẽtes in hoc zoophyto, nec succum (licet rubeus esse possit) referre sanguinem, nec herbis pasci nisi subtracta omni humiditate vtpote maioris attractionis, vnde herbæ non depascantur, sed arescãt: Simile quid in hedera animaduertimus, quæ quibus se applicat, ea fere exiccat, omni exhausto humore: Sic antipathiam tradũt esse inter vitem & brassicam, quamuis eas passim intermixtas videre liceat in vallibus Rhenanis & alibi: Non tamen negauero, quin brassica multum nutrimenti, alias vitibus debiti, ad se trãsferat: sic cucurbitas, melones & cucumeres sua vicinitate non prodesse

vi-

vitibus vero conſentaneum: Scimus quoque arbores eas, quę olera in terra ſub ſe nata habent, non adeo fructiferas eſſe, quam ſi ſolæ terræ illius ſucco & pinguedine gauderent: Forma itaque externa animalis in hac planta ſupereſt, & quod appetatur à feris; ſed hæc ex planta animal non facient, cum & carniuori canes veſcantur prunis maioribus, & alijs fructibus, interdum nucibus & pyris: Ita & lupi in fame, qui terram deuorare dicuntur, quidni hoc vegetabili veſcerentur, carneæ ſubſtãtiæ non abſimili? Venter.n. magiſter ingenij eſt & inuentor rerum, docetq; fames ferras ea guſtare, quæ alias fugerent: Figura autem quid admirandi præ ſe fert in eo, quod natura vegetabili animal imitata ſit, & membra ſeu organa ſenſuum largita ſit illi, quod ſenſum non habet, in quo alma & benigna mater luſiſſe præſumitur, illo forſitã indicio, ſe poſſe, ſi vellet, animalia è terra naſcentia producere ex hermaphrodytico ſemine, nullo diſtincto ſexu: Si enim vitam ſenſiti-

tiuam & motum ei plantæ addidiſſet, abſolute animal dici poſſit; nunc quaſi typum agni repręſentans plãta appellata: Et quis ſcit, an non hiſce barbaricis oris hæc agnelli figura vegetabilis à natura exprimatur, vt agni tollẽtis peccata mundi eſſet hieroglyphicon, vt ſupra de volucri arborea quoque aſſeruimus? Siue id ita ſe habeat, ſiue non, nos ſi inſtar illorum hæc zoophyta cenſeamus, nihil à veritate aberrabimus, nec à voluntate diuina, quæ à creaturis, vt architextrix omnipotens, agnoſci deſiderat.

Capvt VIII.

Quæ ſit miranda natura quorundam vegetabilium, inprimis Draconis arborei eiuſque ſanguinis, Indiæ occidentalis, florum & plantarum aliarum, quæ artificio mirifice iuuãtur.

IN vegetabilibus præterea alia iucunda occurrunt ſpectacula, quæ par-

partim à ſola natura, partim ab arte adiuta producuntur & hominibus in diuinorum operum contemplatione curioſis conſideranda ſunt: Horti, ſyluæ, campi & prata illis abundāt & pro ſe ſingula diuinam prædicant ſapientiam, ebuccinanturq; efficaciam: Non eſt adeo abiectum & vile quid in iis, quod non tacitum Oratorem agat ſui creatoris: Quid gramine & trifolio communius, quib. rura & paſcua tegantur, nihilominus ex iis lacticinia omnia profluunt, carneſque generantur, quibus viuunt homines: Quid deſpectius humili mirica? At à principe quodam Germaniæ inferioris pro arbuſculis tamen mellis feracibus celebrata eſt: Præbet enim ſuis floſculis hiantibus rorem cœleſtem apibus, qui in mel & cæram ab illis comportatur ad fauos ſuos fabricandos, ex quibus iterum apiculæ prodeunt, & ſic in infinitum procedit multiplicatio: Quis hæc in viliſſimis plātis obſeruat, quas pedibus conculcare & deſpicere, facile eſt, mente autem percurſitare &

ſuſpicere, non ita: Vnde gramen terræ, nudatæ ab omni vegetabili, intra vnum aut alterum annum, veluti veſtis noua viridis, obducitur? Non ex ſemine, nec radice: Certe ex ſola cœli imaginatione ſeu influentia, tenore verborum creatoris, terra producat gramina: Vnde trifolium generetur, ſi antequam matureſcat & ſemina proiiciat, à meſſore demetatur aut à pecoribus depaſcatur? Prouidit in hoc illi natura, dum ſemen radici appoſuit; Hoc itaque inueteratum à ſemine de nouo, vt gramen ex radicis repentis per terram propaginibus reſtaurat & excreſcit, ne pabula deficiant pecudi, & in hac nec homini: Verum ab arboribus vnum ſaltē Naturæ luſum adhuc depromemus, quo Dracone͂ arboreum ſeu vegetabilem Indiæ, eiuſque ſanguinem contemplabimur: Magna fuit opinionum diuerſitas apud medicos hucuſque de ſanguine illo draconis, cuius vſus & ad medicinam & picturam maximopere requiritur, vnde petatur aut fiat, nec vllus ante
hac

hac rei veritatem aperuit ante Mo-
nardum Seuiliensem physicum; qui
in secunda parte sui libri de admirã-
dis simplicibus ex Occidentali India
allatis, huiusce Draconis eiusq; san-
guinis descriptionem posuit: Alij ex
Græcis, Latinis & Arabibus varias
de eo fabulas tradiderunt ea de cau-
sa, quia vera eius cognitio occulta
fuit, quorum nonnulli putarunt, esse
sanguinem draconis, viui animalis,
occisi, cũ certis rebus mixtum: Qui-
dam dixerunt esse cruorẽ Elephan-
tis & Draconis simul, quorum ille ab
hoc sanguine hausto strangulatur &
in terram proijcitur, hic vero ab illo,
dum cadit, frangitur, vt reddat per
vulnera, quem suxerat, & spolietur
spoliis, quæ spoliauerat: Nam pauci
habent id pro terra rubea seu ocra;
Sunt, qui pro succo herbæ dictę Dra-
conij habent; atq; hæc omnia, quia
originem nominis eius aliam non vi-
dent aut intelligunt: Recentiores
sequuntur antiquos, vt solet fieri in
rebus dubiis, vbi satius est alienas o-
piniones, quam proprias adducere,
ne

ne ſcilicet veritate magis aperta ipſi male audiant, ſed authores eorum: Eſt autem genus arboris in occidentali India creſcens prope Cartagenam, cuius Epiſcopus ipſi Monardo fructus aliquot monſtrauit illius arboris; quos cum Monardus aperuiſſet, Draconis figura perfectiſſima apparuit, ceruice longa, ore aperto, naribus eleuatis, cauda prolixa, pedib. inſiſtens, ita vt nemo eam videat, qui non admiretur ſummum illius artificium, & exiſtimet factam ex ebore; adeo vt nullus artifex melius exprimere poſſet: Sanguis vero Draconis dictus, eſt gummi eius arboris, quod inde exudat, ſi vulneretur cortex, qui valde tenuis eſt: Fit & alio modo, veluti terebinthina in Caſtilia; ſed hic alteri in bonitate cedit: Prior vocatur ſanguis Draconis ex ſtilla, poſterior ex coctione: Ex quibus ratio denominationis eius ſeu ſanguinis draconis patet, non quaſi ex dracone animali petitus ſit, ſed ex arbore, cuius fructus intus exactiſſime draconis figuram referat; Vnde non

immerito arboris ſuccus ruberrimus pro ſanguine eius animalis, cuius eſt idea, habetur: Magna eius efficacia eſt in conſtringendo & conſtipando fluxus ventris interius per os vel clyſteres, vel exterius adhibiti: pulueriſatus catharros ſiſtit capitis, inferioribus partibus impoſitus: Sanguinis quamcunq; profluentiam prohibet & tollit: Conſolidat vulnera recentia conglutinando: confirmat dentes & gingiuas eorum: Color pictoribus eſt acceptiſſimus: Et præter has virtutes alias habet plurimas: Ex ſemine ſuo propagatur arbor tam mirabilis fructus mater, & hic dat ſobolem matri ſimilimam. Inter vegetabilia quoq, admiranda, Peruana illa referemus, nempe Granadilliam & florem cruentum: Illa eſt herba hederæ ſimilis in eo, quod omnibus aliis adhæreat & aſcendat, habens florem roſæ albæ formam repræſentantem, in cuius foliis figuræ variæ paſſionis Chriſti, tanquam artificioſiſſime pictæ forent, viſuntur: Flos vero cruentus in herba duarum palma-

marum altitudinis naſcitur, eſtque flauiſſimi coloris cum quinq; foliis, in quibus ſingulis veriſſima gutta ſanguinis ruberrimi apparet: An per hæc quinque Chriſti vulnera aut etiam paſſionis inſtrumenta ſignificantur? an vero caſu fortuito eo numero & forma à natura ludibunda producta ſunt? Non hoc veriſimile eſt, cum etiamſi aliquando omniparens illa ludere videatur in ſuis operibus, ad certum tamen finem, præter mundi ornatum, ea accommodat: quem ſi quis agnoſcat, eum oportet in cognitione rerum naturalium, totiuſque mũdi ſpecierum verſatiſſimum eſſe: Quis non prima vice animaduertat in flore Solis dicto ex iiſdem Peruanis partibus ad nos delato imaginem ſolis cœleſtis in eo expreſſam, adeo exacte, vt pictor nullus melius depingere potuiſſet? Eſt enim magnitudinis ſatis magni orbis ſeu patinæ, & habet diuerſos colores: ſemen eius melonum ſemini aſſimilatur, at paulo eo maius: Flos ſemper ſoli ſe applicat, vnde & nomen accepit, veluti &

alia heliotropiorum genera. Sed ad mirabiles ortus vegetabilium redeamus: Præter gramen quamplurimæ quoque herbæ ex putrefactione oriuntur, vt sunt vrticæ, fungi, atriplex, blitum, morsus gallinæ, lolium, steriles auenæ, quæ omnes & ex seminib. propriis & ex materiæ in terra præiacentis putredine: Est quoddam genus chrysanthemi floris, quod si agros semel occupet, fruges omnes, quibus innascitur supprimit, veluti pestis & lues earum, nec vllo ingenio extirpari potest: si comburatur, ex cinere, si à bobus depascatur, ex fimo illarũ, repullulare creditur: Ita cardui si semel admissi fuerint in campum, mirifico modo se propagant in semine papposo, quod veluti alis à vento quaqua versum dispergitur, vt dictum primis parentibus edictum, In sudore vultus panẽ tuum manducabis, terra feret carduos, &c. verissimum elucescat: Hæc inutilia contra diligentiam agricolæ se multiplicant, vtilia vero vix cura & industria conseruari possunt: Hinc siligo negli-

gligentius tractata degenerat in steriles culmos seu auenas: Econtra si in optimum solum temperati climatis proiiciatur & cultu diligentiore lætificandi, arandi, & occandi curetur, in triticum nobilitari traditur: Quemadmodum pleræque herbę & arbores syluestres, si transponantur in hortos pinguiores & sub tempore debito transferantur de loco ad locum, magnã mutationem foliorum, florum & fructuum subeunt, veluti patet in bellidum generibus, hiacynthis, tunicis seu caryophillis, rosis, & alijs eiusmodi: Natura per se varios flores simplicibus folijs dedit, quos accedente cultura, multiplici protulit & odore efficaciore insigniuit: Nec dubium est artificio multorum florum colores alteratos esse ex albis in alios, rubros, flauos, cæruleos, & etiam virides: Tantum in his cura præstat & ingenium hortulani, vt fere tota illa hermaphrodytica natura vegetabilium in manu eius existere videatur, quasi cærea & apta, quocunq; flectendi eam, dummodo nu-

tus Naturæ obſeruetur, illiq; ius matris remaneat, colono vero obſtetricis: Habentur ceraſa per artem facta quadruplicia, quintuplicia, ex vno caule pendētia ita vt talia ſint totius arboris, ne de aliis fructibus dicam? Sunt piſa, quæ ſiliquarum interiori membrana carent, artis ingenio aſſcribenda; Abſque dubio ſunt etiam exoſſes fructus eiuſmodi; de quibus Ioh. Bapt. Porta, aliiq; authores conſulendi ſunt: Vitis generi humano pro ſolatio & dolorifuga medicina data, varie propagatur & excolitur, nempe ſemine, radicum traduce, ſurculis terræ immiſſis & inſitione, ex quibus modis prior & vltimus raro vſurpātur: Inſitio vero ars eſt propagandi arbores nō ſolum ſed & nobiliores & fertiliores reddēdi, quam Deus naturæ impreſſit (vt per eam iuuari poſſit) & ingenio hominis inueniendam & extundendam commiſit: Huius beneficio ex ſylueſtribus & degeneribus arbuſculis reddimus hortenſes & nobiliſſimas, ita vt quot ſurculos & virgulas habeat ar-

arbor pręgrandis tot nouos de ſe fœtus propaget, ſi modo in alias ſtirpes inſerantur: Maſculus enim ſurculus inſitus videtur & truncus ſeu ſtirps cum radice, fœmina & matrix, quæ fert fructum magis patri, quam matri ſimilem: Quod mutatio loci eſt in herbis hortenſibus, hoc inſitio eſt in arboribus; vtraque ſpecies mixti generis dedit, colores, odores, & multas alias qualitates immutando: Habentur hoc modo pyra cepacea, aromatica, fraga, reſipientia, & cinnama; intus poma & extus rubea, totq; diuerſitatum ſingulas ſpecies, vt fere nouæ videantur: Pomona in his & Vertumnus varias admittunt formas & viciſſitudines; quas omnes referre, non eſt noſtri inſtituti: Mirandulanus lib. 2. de auro, cap. 10. Videmus, inquit, plãtas artificio gigni, non antea viſas, miſcerique ipſarum naturas & variari: Quid dicemus de productione florum ex ſurculis ſeu ramis ceraſorum aut pomorũ in media hyeme deciſis & in hypocauſto, ſeu calido loco, in aqua poſitis, an

non hæc eſt magia naturalis, homini licita & nō minus admirabilis, quam alia, quorum cauſæ ſunt præternaturales? Quid de foliis braſſicæ ſepultis in terra ſub dio, profunditate pedis (à 25. Nouemb. per 120. dies, in 25. Martij) an non ſemen inde maturū depromatur optimum? Aut quid de nucibus circiter S. Ioannis feſtum immaturis eodem modo ſepultis vſque in id tempus, cum iuglandes in arboribus maturuerint, an non ſub terra reconditæ cum aliis, eiuſdem maturitatis & bonitatis inuenientur? Dicunt id fieri cum ſingulis vegetabilibus, quod tamen incredibile eſt: Videtur hic virtus cœleſtis & ſolaris communicari eadem ſub terra poſitis, quę arborum fructibus, per quandam ſympathiam naturæ: Nec enim calor ſubterraneus tantum valet, quantum ſolaris ſub dio, fructibus manentibus in ſua matre ſeu arbore; nec ratione putredinis idem operari poterit: Quid de fructibus horariis, vt ceraſis, prunis, fragis, vuis & ſimilibus cēſebimus, qui ſub aqua

in

in ligno inclusi, ne aer aut aqua intret, integri & tanquam ex arbore recentes collecti sint, media hyeme appareant? Sed de his satis.

CAPVT IX.

Quo artificio in Ægypto olim & adhuc oua auium excludātur, & quibus ex causis; tum quæ animalcula ex quibus variam mutationem & quasi nouam generationem subeant.

IN animalium classe eadem est vicissitudinis ratio, quæ in iam dictis plātis, hoc est, tam secundum artem quam naturam quorundam mirabilis est origo hoc loco nō prætereunda: Apud Ægyptios, vbi muriū prouentus ex glebis ipsius terræ, vt antea produximus, immediate contingit, hoc artificij non solum hoc nostro, sed etiam antiquo ante Christi natiuitatem tempore habuerunt, vt ex ouis gallinarum aliarumq; auium

pullos excluserint medio furnorum mediocriter calefactorum: Sic enim Diodorus Siculus, qui circiter 60. annis ante Christum natũ Ægyptum peragrauit, lib.2.cap.3. de iis scribit: Nam qui aues, inquit, & anseres nutriunt, præter earum, quæ apud alios homines habetur, procreandi naturam, adeo illis indulgent, vt in numerum dictu mirabilem auium euadãt. Non enim ouis incubant aues, sed ipsi ingenio & naturali arte ex ouis præter cæterorum consuetudinem educunt fœtus. Hæc ille. Qui nostro æuo Cairi in Ægypto hoc artificium viderũt, narrant, in furnis quibusdam ordine dispositis multa millia ouorum gallinaceorum excludi calore excitato ex fimo animalium, qui per omnes furnos transcurrat, vt breui tempore idẽ per artem, quod à natura ꝑ aues excubãtes, fiat, pullos recẽs natos cum pala in modium seu mensurã certã ingeri, quotquot accumulari possunt, ac deinde modiũ, qui absq; fundo est subtrahi & dari pullos emẽtib. pro certo precio ad e-
du-

ducandum eos; & quamuis plurimi ex ea tractatione moriantur, tamen ſi dimidia pars ſuperſit & adoleſcat, ſatis inde lucri, ſi vendantur, ſuppeditabitur. Cur vero hoc ipſum apud noſtrates non ſit in vſu, variæ reddi queunt cauſæ: Quod poſſibile ſit, id arte hoc noſtro cœlo & ſolo exprimere, patet, quia nõ vnus ſaltem, ſed plures Chymiſtæ his locis inuenti ſint, qui ſuis furnis tepidis & temperatiſſimis idem, ſed in paruo numero fecerint, non ad faciendum lucrum, ſed vt experirentur per artem mirabilia naturæ opera & temperamentum ſui ignis & furni probarent exemplo indubitato: Sic Liuia ouum gallinaceum inter mammas continuo tepore fouiſſe traditur, donec criſtatum gallũ inde eduxerit: Memini inter alia Experimenta & hoc tentatum; oua gallinacea in cineres non tepidos, ſed ſatis calidos, in quibus tamẽ digitus tolerari poſſet, impoſita poſt 40. dierum ſpacium, eorum albugines in vitrũ criſtallinum, fictitium migraſſe, adeo vt quis iu-

raſ-

raſſet eſſe vitra in fractura, duritie & pelluciditate; ſed nec aquam, nec ignẽ toleratura: Alij referunt, ouum recens gallinaceum ipſo die paſchatos ſuſpenſum in ſummo laqueari domus, ibique relictum vſque in diem ſequentis pentecoſtes, in lapideam cõcreſcere duritiem: Cauſa eſt, quia fumus ſumma domus petens, vel etiam aer illius temporis plus exiccet, quam humectet ſubſtantiam oui, & ita humiditatem omnem ſucceſſiue per poros corticis exhauriat: Longe aliter fit in incubatu gallinæ, vbi humidus calor corporis tantum humectat, quantum ſiccitas, ſi adeſſet calori, exiccaret; Seu calor eſt agens, non ſiccitas aut humiditas; idem vt fiat in artificio illo furnorum, neceſſum eſt: Stercora enim ouium vel camelorum, quibus calefaciunt furnos, fere putridum calorem ob pinguedinem excitant, ideoque ſubhumidum; atque hoc omnis generatio, quæ per putrefactionem perficitur, contingit: Cauſæ vero, cur non fiat in hoc quoque à nobis imitatio naturæ,

turæ, eſt ignorantia mediorum chymicorũ ad illud opus requiſitorum, quæ qui nouit, rem eam in magno opere factis ſumptibus, tẽtare renuit, qui expetit hanc, ea deſiderat: Ad hæc forte ibi oua ſunt in maiori copia, aut pulli magis accepti, quã hic: Conſuetudo quoque longa artem quaſi in naturã conuertit, vt id quod inauditum eſt apud alios, illis ipſo vſu in habitum & morem conceſſerit: Non iniuria itaque affirmatur in Ægypto Vulcanũ antiquitus vt potiorem præ omnibus aliis Diis cultum & templa primaria, honoreſque diuinos promeritum eſſe; à quo omnia bona, vt etiam à Nili inundatione, illi terræ profluxerunt: In honorem & memoriam Oſiridis & Iſidis omnia feſta inſtituta fuerunt, nec non hieroglyphica monumenta facta, animalia certa ſacrata, animalib. oppida cognomine attributa: Leges Ægypti ab Iſide latæ ſunt ex Mercurij conſilio, qui eas à Vulcano acceperat; Eidem Mulciberi & Apis ſacer erat, de quo alias paſſim tradidimus:

Vul-

Vulcanus eſt, qui furnos excalefacit, iiſque oua nō ſaltem gallinacea, ſed etiam philoſophica excludit: Sed his miſſis ad ipſa volatilia ꝑgrediemur, in quibus putredinalis calor mutationem inducit indiuiduo adeo, vt in aliam tribum migret: Sit autem formica prior, corpore exigua, labore operoſa, plura habēs teſtimonia ſuæ ſedulitatis in œconomia & pietatis in ſuam gentem: Ælianus de formicis in varia hiſtoria tradit, illas præſentire imminentem famem, & tunc inprimis laborare, vt proueniant: Hinc Sapiens, I piger, inquit, ad formicam, & diſce laborare: Et Prouer. 30. Formicæ, populus non robuſtus, quæ comparant æſtate cibum ſuum: Eſt autem apud formicas (quæ ex Myrmidonibus in beſtiolas mutatæ finguntur) ęqualitas popularis ſtatus & labor feruet tam noctu, micante luna, quam Sole interdiu; commune omnibus horreum, victus compar; diuerſas operas inter ſe ſortiuntur, quibuſdam mortuos euehentibus & quiſquilias inutiles ex ſtabulis ſuis

ex-

exportãtibus, quibuſdam commeatum & annonam congerentibus & in terræ cauis recondentibus: Poſtquam vero diu ſe fatigauerint laboribus, ne perpetuo iis ad vitæ finem vſq; vacarent & immorerentur, natura ipſis in ſenectute præparat alas, quas enaſci ex earũ corpuſculis voluit, vt illis eleuatæ ex peditibus fierent equites & mundi mirabilia luſtrarent, ex terra in aerem tranſirent ocioſæ: Per laborẽ enim in Gloriam tenditur, per eius veſtibulum in huius templum: Natura itaque bene de ſe meritas (vt & ſummi principes) nobilitat, dans ipſis pegaſum pro armorum inſignijs, & donat eas alio nomine & ſpecie, vt muſcæ dicantur, alatæ, quæ ante fuerant laborioſæ formicæ: Idẽ accidit alteri generi vermis ſub aqua degentis, forma parui ſcarabæi, qui cum vrinatoris officio diligentiſſime functus fuit, expectat quoque brabeion à natura, ideoque certo tempore quando iam finẽ ſuis laboribus inſtare præſentit, mane oriente ſole ex aqua prodiens valedi-

cit humidæ isti, quasi nauticæ vitæ & regioni, & repens ad murum exponit se soli meridiano; quo calefactus (mirabile dictu) secundo nascitur & facto foramine egreditur chrysalis, insectum duplo longius, quam ante fuit vermis, quatuor alis volans, minoris digiti longitudinis & crassitudinis pennæ anserinæ (vernaculo idiomate equuleum aut virginem vocant) suntque huius generis maiora & minora; De maioribus hic sermo, quamuis minora eodem modo regenerari ex paruo verme certũ sit: Cutis seu exuuiæ vermem pristinæ formę referunt capite & omnibus fibris, nisi quod sint inanes corpore: Hæc sane metamorphosis est spectactu dignissima, non ob precium animalculi, quod vilissimum est, sed ob naturæ miram sagacitatem & artificium: Eques itaque factus est ex hoc vrinatore marino, vt aerem peruolet velocissime, qui diu sub aquis stabulatus est: Quid inculcem amplius erucam, quæ transit in papilionem? quid vermem bombycinum erucæ simi-

ſimilem, qui in alatum quoq; animal papilioni conforme tranſmutatur? Quid vermem Enger Germanis dictum, qui abit in bruchum? Hæc tria ſunt animalcula in ortu & generatione valde conuenientia, ſed bruchus & eruca ſunt noxia & damnoſa humano generi, bombyx vero vnice vtiliſſimus: Natura enim conceſſit, vt duo mala vnũ comitarentur bonum quo mortalibus non deeſſet occaſio ea auerruncandi & eliminandi labore & hoc acquirendi eadem comite, virtute duce: Eruca ex ſemine exiguo calore ſolis animato inſtar vermiculi repere incipit & in iuſtam magnitudinem accreſcit, folia & flores arborum fructiferarũ depaſcens, ac mox ſpeciem ſuam eodem ſeminio arborum ramis affuſo propagat; Ne vero hyeme vento vel frigore ſperma illud pereat, circumtexit inſtar aranei id ſuis telis intricatiſſime: Poſt depaſtis fructibus, acquirunt alas fiunt papiliones, vt volent quoq; in alia loca, quæ ſimili ꝓpagine beare poſſint: Papiliones facti non deſi-

nunt luem ſuam diſpergere longe lateque, qui tamen auiculis in alimentum cedunt; veluti bruchi exaturati ſuo fato decidunt & formicis, vt plurimum in delicias veniunt: Bombyx vero tota ſua vita eſt beneficus in homines, cuius curriculum eſt huiuſmodi: Ex ſemine inſtar ſinapis, calore ſolis vel mammarũ muliebrium vitam accipit & fit vermiculus viuens, qui ſi immittitur in teneriora mori arboris folia, nutritur & creſcit in erucæ grandioris magnitudinem, hinc ſaturatus cibo & ſomno incipit texere circum ſe veſiculas ſericeas, quibus incluſus dum manet, intus mirabiliter alas acquirit quaternas albas; tum pedibus nocte dieq; exitum ſibi parat, donec veluti fœtus nouus de nouo in lucem facto foramine, emiſſus cõiugium meditetur: copulatur enim alteri ſui generis ſexui fœmineo aliquamdiu; Fœmina ex coitu illo ſemina parua per chartam aut folia ſubmiſſa quinquagena aut centena ſpargit, donec totũ ventrem ſuum euacuarit, quo euacuato,
alisq;

alisq; nouis firmioribus factis ad volutum se præparat: Species vero eius in semine sparso conseruatur & illa tum indiuidua pereunt: Et hic est vitæ circulus bestiolæ illius, quę omnis luxuriæ in vestibus hominum nutrix est: At de bombyce latius in Lusu serio tractauimus, quæ ibi videri possunt: Supra quoque cap. 2. plura putrefactionis exempla dedimus, quæ videlicet animalia ex sola putredine absq; semine præexistente oriantur: His annumeranda sunt & alia, quod ex basilico (herba) inter duos lapides contrito, sólique exposito scorpiones dicantur nasci; & quod ex frequentiori eiusdem herbæ comestione in cerebro cuiusdam Itali scorpio sit natus, vt habet Hollerius: Ita scribũt multi ex cadauere humano vermes & serpentes enasci, quoniam homo serpentis (in quo diabolus habitauit, vt adhuc in Asia quibusdam in locis) veneno afflatus sit: Augustinus quædam horrenda narrat de hominis cadauere quomodo in venenosa mutetur animalia, in sermone 48. ad

fratres in Eremo, dum, mihi experto, ait, credite, quod apertis ſepulchris, in capitibus inuenietis bufones ſaltantes, generatos ex cerebro, in renibus ſerpentes generatos in lumbis ambulantes, in ventre vermes ſcaturientes generatos ex viſceribus: Ecce quid ſumus, & quid iam erimus, ecce in quod reſoluimur? Hæc ille. De quib. Veſpillones audiēdi eſſent: Quod ex humano corpore adhuc viuo animalcula erepant in phthyriaſi apparet, eadem quoq; abſumere cadauer, ſunt qui teſtentur: Alij promittunt ex omni homine, ipſo quoque rege pediculos aliquot educere, qui lateant ſub cute palpebrarum: Quod ſi verum ſit, ſiue non, nihilominus conſtat ex ſordibus eos generari in cute vel circa cutim: Vt taceam reliqua vermium genera in homine vel circa eum generata: Pediculi, pulices, cimices ex æquo bellum indicunt homini, hi potius nocturnũ, illi & diuturnum: Quid multis? Homo intra ſe & extra ſe vermes aliquando geſtat, & vermium telis bom-

bombycinis ſeu ſericeis circumtectus & veſtitus dum diuinos affectat honores, aut ventrem ſaginat, en vermibus cibum præparat & obſonium facit: atque ſic perit gloria mundi.

CAPVT X.

De rarioribus in natura contingentibus Angliæ, vtpote canibus, buſone cum aurea cathena, & Pythone ex percuſſu terræ generato.

OMnes vegetabilium aut animalium metamorphoſes deſcribere nobis non eſt in animo, ſed ſaltem ortus quorundam magis inſignium, vt vnum ex altero percipi deque alio teſtimoniũ perhibeat: Vt enim manus ingenioſa hortulani ſemper aliquid inuenit, in quo Naturæ obſtetricatum præſtet, ita Africa non ceſſat nouas animalium formas indies producere, antea non viſas: Iacobi Patriarchæ artificium magiæ natu-

ralis permultos excitauit ad ſimilia Naturæ opera inuenienda, & inſolitas generationes tentandas, quarum nonnullæ in actum ſunt productæ: Ex mangonio & mixtione diuerſarum ſpecierum animalium prouenіunt formæ nouæ, vt in mulo & hinno, Lyciſca, Leopardo, & aliis eiuſmodi conſtat: Ex phaſiano & gallina gallinacea pennis ſublatis, fœtus gallinacei naſcuntur pulcherrimi, qui quaſi ſtellas & maculas habeant toto corpore, & ſine maioris caloris & fœcunditatis, quam vulgare genus gallinarum, cum pleræque bina oua de die pariant: Porta & alij de his plurima, vt ſcripſerũt, ſic experimentãti pollicentur: Maneat penes ſuos authores ea fides: Nos hic pauca, quæ reſtant, de mirabili animalium generatione adiiciemus; Ne vero à nobis ficta produxiſſe videamur, ipſos authores ſuis relationibus coniungemus: Scriptor quidam Anglicanus, Gulielmus Nouobrigenſis in commentis ſuis rerum Anglicanarum, lib. 1. cap. 28. tradit, quod duo

canes

canes viui in petra quadam ſubterranea lapicidinarum inuẽti ſint, qui lapidibus ſolidis conſectis & remotis exitu inuento aufugerint: Quod ſi ita eſt, abſque dubio dęmones fuerunt in canum forma: Naturaliter enim ibi natos non fuiſſe, tam euidẽs eſt, vt nulla probatione indigeat: Sed addit hic ſcriptor non minus rarum & admirabile, cum, Refertur etiam, inquit, quod in alia lapicidina, dum pro eruendis fabricæ neceſſariis lapidibus altius foderetur, repertus ſit lapis formoſus duplex, id eſt, ex duobus ſubtili agglutinatione compactus lapidibus: Mirantibus operariis, Epiſcopo (Wintonienſi, Henrico) qui non longe aberat, exhibitus diſſignari iuſſus eſt, vt innoteſceret, ſi quid in eo lateret myſterij; inuentaque in eius concauitate beſtiola, quam bufonem vocant, cathenulam auream circa collum, habens: Cunctis ergo, qui aderant, tam inuſitatæ rei ſtupore ſuſpenſis, præcepit Epiſcopus, iterum ſignari lapidem & lapidicinæ altitudini reddi-

tum ruderibus in perpetuum operiri: Quibus conſentit, C. Lang. dum teſtatur quod in carbonariis fodinis agri Leodienſis, ſæpenumero ſilices ingentes reperiantur rotundi, lęues, præduri, intra quos viui bufones, omnis ſpiraculi, quod videri poſſit, expertes conditi lateant. Verum vt hoc vltimum à natura, ita primum ab arte & hominum induſtria procedere nō dubitamus: Nam ante multa ſecula ille bufo addita cathenula aurea à quodam mago Negromantico ſiue Epiſcopo, ſeu principe aut rege ibi reconditus abſque dubio fuit, vt aliquod bonum vel infortunium in regno vel ipſius loci poſſeſſori operaretur vi magica; aut reuera phātaſma fuit mali dæmonis, qui rubetæ forma ſæpe apparuit: De rege quodam Britannico, poſt Brutum nono (niſi ea regum ſeries ſit prorſus fabuloſa, vt doctiores ibidem ſuſpicātur) Baldud dicto ſcribit Alanus de Inſulis in explicatione prophetiæ Merlini, quod inſignis Negromāticus fuerit, & Xaerbatum vrbem condiderit,

rit, inq; ea fecerit illa calida balnea ad vſus hominũ apta ac ſaluberrima, quæ nunquam humano labore calefactari indigeant: Mechanica autem arte, inquit, fecit, ſemel ſuppoſito ſul phure & quibuſdam aliis, quæ opus iudicauit, præfecitque eis Numen Mineruæ, in cuius ęde inextinguibiles poſuit ignes, qui nunquam deficiebant in fauillas, ſed cum tabeſcere incepiſſent, ſaxeos vertebantur in globos: Eiuſmodi thermas quoque Virgilium feciſſe apud Neapolim Campaniæ ciuitatem, quæ iam refrixerint, idem author ſcribit: Ab eo Baldud forte hic bufo, vt ſacrificium Plutoni, oblatus fuit, inque lapicidinas artificioſe immerſus, ne putredine vel aquis terræ alibi periret, ſed diutiſſime in viuis remaneret: Eſt enim Pluto Terræ interioris & diuitiarum Deus ſtatutus ab Ethnicis, & bufone nullum animal terreſtrius, nec auro metallum melius, vnde nõ inconcinne hic illi conuenit; veluti alias in Italia prope Patauium tale ſacrificium phialę argenteæ & aureę

Plutoni ſacratum inuentum eſſe alibi retulimus. Nec vero aureæ naſcũtur cathenæ circa collum bufonis, vt nec aurei dentes in ore pueri: Natura enim aurum quidem generat longo tempore, ſed non habet ſubterraneos aurifabros, qui mox inde cathenas fabricent: Bufo repẽs per terram & aquila volans per aerem eſt Auicennæ ſymbolum in porta Elementorum & ſpectat ad auri generationem, arte adiutam, de quo in Atalãta fugiente, & alibi, vtpote noſtris Inſigniis, abunde egimus: At mirum, vnde in ſilicibus generentur bufones, vnde nutriantur, aerem ducant & tam diu ſint ſuperſtites abſque aere, cibo & potu? Quæ quæſtio ſatis ardua eſt; Quo ad generationem dicimus poſſe viſcoſam & pinguem terreſtrem materiam contineri in ſilicibus dictis, quæ calore ſubterraneo non coaluerit in duram & ſiliceam ſubſtãtiam (veluti ouuum calore indureſcit nimio in lapidẽ, aut viſcoſa ſubſtantia lapideſcit in renibus) ſed temperatiore & putredinali te-

ſi tepore in animal tale viuum per viam putrefactionis commutata ſit: Quod ſi ſic, in dicto loco ſatis nutrimenti habuit, vt accreſcat ex eadem materia, vt pullus in ouo ſatis materiæ habet, qua generetur & nutriatur, dum ibi manet: Pullus autem auis, vt exeat ex ouo, generatur, quod niſi apto tempore contingat, emoritur: Contra bufo ſi generetur intra terram aut ſilices, etiamſi in tenebris & clauſtris illis ſubterraneis maneat, nil ſentit aduerſi ex naturæ ductu, nil ex eo in aerem cõſumitur; vnde nec corporis diminutio, fames aut ſitis, qui vt ex viſcoſa terra creuit, ſic eadem ſuſtentari poteſt: Non minus ſupra & contra naturam ortus eſt Typhonis, ſerpentis immaniſſimi, qui, cum Iuno audiuiſſet Iouem ediſſe Palladem, irataque cum diris execrationibus, pugno terrã percuſſiſſet, generatus dicitur: Hæc nobis videntur aniles fabulæ, cum tamen apud Ethnicos grauiſſimis viris ad credendũ impoſitæ fuerint, nullo reclamante: Ætas illa has theologiæ

ſuæ

ſuæ partes agnouit, cui contradicere, nefas putatum eſt omnibus ſeculis, & ſi quis reſtitiſſet, illum nos cum priſcis Ethnicis atheum dicimus, eique (vt illi olim) ſtigma ſpretæ religiõnis inurimus, ceu Luciano, Diagoræ & Anaxagoræ alijſque contigit, cum tamẽ nos Chriſtiani eadem illorũ numina omnia negemus, excepto vno veraciſſimo Deo: Hic eſt ipſe Typhon, qui Oſirim fratrem interemiſſe apud Ægyptios ſcribitur: Eſt quoque exigua literæ vnius trãſmutatione Python, qui poſt diluuiũ ex putrefactione limi exortus fingitur, & ab Apolline (inde Pythio dicto, feſto ſingulari in eius rei memoriam cõſtituto) ſagittis interemptus: Alij dicunt, quod cum Iuno cognouiſſet Latonam vtero geſtare gemellos, Apollinem & Dianam, quos ex Ioue conceperat, quod zelotypia Pythonem horrendæ vaſtitatis ſerpentem ei immiſerit, qui grauidam proſequeretur & vexaret: Mulier miſera poſt diutinos errores tandem nauigio delata in inſulam Orthygiam,

giam, ad sororem suam Asteriem, quæ in ea regnabat, peruenit, quæ nsula licet tota inundaretur, tamen parturienti Latonę locum dedit, vnde Delus dicta, quæ ἄδηλος erat antea: bi igitur enixa pueros, prima prodiit x vtero Diana (quæ albedo argenea est in opere naturali chymico) aque se obstetricem matri in partu ratris Apollinis laboranti præbuit: Vnde factum est, vt prægnantes in puerperio eius Numen inuocarent, amque vel Lucinam vel Ilithyiam ocauerũt, quod lucem natis infanibus apertis eorũ oculis ostenderet: Apollo igitur natus & adult⁹ Pythonem matris vexatorẽ sagittis cõfecit: Vnde cõstat Pythonẽ & Typhonem sse vnũ eundemq; serpentem: Quæ omnia cũ alibi satis euoluerimus, nẽpe in Hieroglyphicis, Aurea Mensa & Atalanta, & ad solam chymiam referenda demonstrauerimus, hic non amplius discutienda & ad nauseam sq; repetenda existimamus: sed tantæ rei cupidos ad dictos nostros tractatus transmittimus & delegamus.

CA-

CAPVT XI.

De volucris Igneæ, seu Vulcani, hoc est, in igne generatæ, Phœnicis, natura & descriptione, quid scilicet per eam tot seculis allegorice, Arabiæ & Ægypto appropriatam, tectum & intellectum sit.

NOn pœnitere quenquam potest aut debet, quod nos de Orcadia volucri, siue arboreo fœtu tractare inceperimus, iam vero ad alia progressi quædam ignota & lubricæ fidei, quædam nota & indubitata nostræ scriptioni inseruerimus: Nec enim hæc præter intentionis aut methodi lineam adiũximus, sed ex professo, vt & priora cõgessimus, vt vna natura aliam illustret & notiorẽ faciat: Pluris enim non raro apud multos æstimantur Parerga, quam Erga; cum dandum sit oculis & menti aliquid, sine quo illi hebescerent & hęc hæreret: A potiori autem denominationem huic nouo fœtui mutuari

non erubuimus, cum id in ſimilibus fieri ſæpiſſime ſoleat: Ne vero noſtra volucris Arborea ſola occurrat, in tanta auium copia lectori, En illi hũc alitem igneum, ſolis genuinum pullũ, Vulcani alumnum (ad cuius generationem omnes Dij deæq;, quotquot ſunt in Ægyptiis ſacellis, concurrerunt, eique genethliaca dona comportarunt) Phœnicem adiungimus; de quo etſi ſæpe egerimus ſparſim, potiſſimum in Noctua, tamẽ hic eius ortum præternaturalem vberius declarabimus, quã alibi factum eſt. Cornelij Taciti de hac aue ſententiam, eius tempore celebratam, iam ante produximus, ex qua colligitur, eadem iſto æuo, nempe ante ſeſquimille annos, de Phœnice, quæ nunc, rumoribus vulgi diſperſa fuiſſe, eademque credendi facilitate etiam doctioribus & ſagacioribus tum recepta: Quæ enim communis error primo comprobauit, quis ea ex animis hominũ aut ex libris authorum deleret & expungeret? Manent firmiter infixa, tanquam marmori duriſſi-

rissimo insculpta essent: Vt enim seniores mores antiquos semper in ore habent, inculcantque iunioribus, ita sapientiores, quo quid vetustius, eo veracius credunt & præferunt aliter sentientibus: At Veritas à tempore (cui⁹ filia dicitur) nihil sibi præscribi patitur, cum posteriores cogitationes sint prudentiores prioribus & dies sequens præcedentis magister audiat; adeo, vt si tempus dicatur veritatem gignere aut ex spelunca tenebrosa (vt Heracletus referebat) in lucem mundi producere, id intelligendum sit de posteriori tempore, non priori vel prisco: Falluntur itaque sæpe etiam illi, qui opinioni alicui adhærent, quia antiqua sit, vt & his aduersi qui ob solam nouitatem quid amplectuntur: Vetus opinio de Phœnice fuit erronea, quam qui sequuntur, errant veterem errorem, in eo solo fœliciores aliis; De vulgariter nota loquor, non autem de Philosophis veris ex ipso opere verã sententiam agnoscentibus: Illa publicata fuit libris, hæc in mente remansit

consciorum: Chymia vbi extitit æuo Taciti & ante? Dico, quod ne nomine nota fuerit vulgo, licet reipsa sapientibus cognita: Nec sciri debuit in confusione illa gentili, an sit, multo minus, Quid & quomodo sit: Satis fuit tum ingeniosissimis Ægyptiis & Græcis philosophis Chymica subiecta & occulta nomina, imo totam artem audiri vulgo, at minime cognosci: Vt enim matres ballutientibus suis filiis nænias & gerras quasdam narrant, vt eorum voluntati satisfaciant, quas adultiores quid significent, quid non, soli intelligunt, Sic quoque Ægyptus & post eam Gręcia mater artium nec non chymiæ, filiis siue populis (qui ab iis doctrinam acceperunt) Romanis aliisque bellas occinunt fabellas de Herculis laboribus, Vlyssis erroribus, Iasonis periculis, Thesei facinoribus, De Saturno, Ioue, & reliquis diis maiorum gētium, de pomis Hesperidum, Atalantæ fuga, Vellere aureo, Expeditione Troiana, ac de Phœnice, innumerisq; his similibus,

quæ in Hieroglyphicis Ægyptio-Græcis exposuimus: Phœnicē vnū in toto orbe hēt Arabia, aquilæ magnitudine, auri fulgore circa collū, cætera purpureum, cauda cærulea, roseis pennis distincta, facie cristis ornata, & plumeo apice caput honestante: Hæc est eius communis descriptio tam in quantitate, quā qualitate: Sed cur vna vnum habet Arabia? Arabum enim diuitiæ non sunt fabulosæ omnino, quæ fuerunt in fauissis preciosissimi metalli, quod vnquam natura produxit; Non immerito itaque inde volatus sui initium Phœnix ille sumit: Natura enim primum vermiculum generauit in Arabia, qui præiacens semen est toti volucri: Nam si disputetur, an auis prior ouo, nec ne, respondendum, quod prima auis, quia creata sit à Deo ex nihilo absq; vllo præexistente spermate, ex ouo non prodierit, ideoque eo prior tempore extiterit, in qua quæstione refellenda antiqui Ethnici occupati fuere philosophi, vt patet ex Plutarcho, eodem titulo & Censo-

ſorino: Eodem modo, cum noſter Phœnix ab æterno non fuerit, vt nec ipſa Natura, vermis ei initium præbuit, non per naturam, vt in ante dicta volucri Orcadia fecit; ſed per Vulcani Palladiam fabricam: Vermem produxit Sol cœleſtis per modũ putrefactionis in ſua propria materia, quam Mercurius miniſtrauit: Hinc Mercurius, Vulcanus & Apollo, qui Sol eſt, hunc Orionem ex putredine vrinæ aut potius ſeminis, generarũt, dum id pelli bubulæ incluſerunt: Apis enim totum compoſitum denotat, vt Ægyptiis ſacerdotibus propterea eius cultura introducta: Orion adultus ad ſolẽ orientem; cum cæcus eſſet, contendit; vbi lumen recepit, at poſtea à Diana inſcia natans ſagittis interemptus, cœlo illatus eſt: Vermis ergo in Arabia ex Mercurij viſcoſa materia primo natus eſt, ſolis operante calore, qui ibidem per Vulcanum, Ægyptium artificem, in ipſum Phœnicem tranſmutatus eſt, iſtis coloribus, vt prædictum inſignem: Totus quidem eſt

rubeus, niſi quod collum habeat aureum & caudam cæruleam, roſeis diſtinctam pennis: Non eſt phœnicopterus Apitij, nec phœnicurus, hyeme Erythacus dictus: Multo minus Porphyrio, quæ auium ſola morſu bibit & omnem cibum aqua tingit, quem pede ad roſtrum, veluti manu, iungit; Hæ volucres etſi quid rubedinis habeant in pennis, vnde & dictæ videntur, tamen toto genere à Phœnice Arabico differunt: Nil eo pulchrius terra produxit, nil precioſius Natura per Vulcanum formauit: Auis dicitur à vi volandi, Phœnix ab operatione; quia omnia, quæ tetigerit ſibi affinia, colore ſuo imbuit & in fulgorem auri transfert: quod probatur, pennæ eius exigua portiuncula in aquilinas pēnas (quæ ſolæ deaurationem admittunt, vt aiunt) proiecta illæ aureæ totæ fiunt, non ſolum deauratæ: Hanc efficaciam eius ignorarunt antiquiores, inter quos Tacitus & Plinius, quorum ille, certum ei tempus aſſcribit, ex opinione communi, migrationis

ex Arabia in altare Thebarum Ægyptiæ vrbis, cui à ſole nomen eſt inditum, nempe 500. annos inter priorem & poſteriorẽ alites (alij 1461. quidam 660.) hic allatum fuiſſe Phœnicem in vrbem Romam, Claudij principis cenſura, A. vrbis 800. At hæc vltima vel allegorica ſunt, à philoſopho artis conſcio relicta, aut prorſus erronea, cum phœnicopterus, vel alia auis pro Phœnice ſit habita: Quorundam eſt opinio, neminem extitiſſe, qui viderit veſcentem, imo nec exiſtentem: Sacer eſſe ſoli traditur, vt Orus Apollo Ægyptius ſcribit & omnes alij, ac ſi præueniat quingenteſimũ annũ ante obitum curatur myſtice ab Ægyptiis, & quæcunq; aliis ſacris animalib tribuunt, hęc & Phœnici omnia debentur: Gaudet enim ſole maxime Phœnix, in Ægypto pręcipue, vtpote illic vehemẽti: Quæ omnia Ori verba ex Veterũ monumẽtis ille hauſit, & nõ obſcure ad omnia Hieroglyphica, quæ prorſus myſtica ſunt, ad vnum Phœnicem, quo ſpectant proprie, refert, alias in natura

 vel

vel arte parum ſignificantia: Cur Soli ſacer? quia Sol primum vermiculum, vt dictũ, ſua ſola influentia abſque præuio ſpermate, generauit; vnde filius patri non immerito conſecratur; Et hæc eſt cauſa, cur fingatur deferri in Solis vrbem Ægyptj, Heliopolim ſeu Thebaidem (quæ ſolem denotat) vbi myſteria ſua Vulcani tractarũt olim philoſophi in vno collegio congregati; quæ ciuitas qualis & quanta fuerit in 100. portis & earum excubiis, aliiſque monumentis ſtupendis, ex Diodoro Siculo, aut hieroglyph. noſtrorum, lib. 1. petendum erit; Non enim omnia paſſim dici poſſunt, ſed liber librum aperit; & multa dicuntur vno loco minus apte ad captum alterius, quę alio loco aptiſſime: Seneſcens hic Phœnix, vt fama eſt vulgi, ex caſia thuriſque ſurculis conſtruit nidum, quem odoribus repletum ex Arabia in dictam Ægypti ciuitatem tranſportat, inque aram templi (Vulcanici) reponit: Incenſis autem radiis ſolaribus ſurculis totum nidum & ſeipſum comburit,

non

non vt pereat, ſed nouus regeneretur: Ex Cinere enim relicto naſcitur vermiculus, qui generationem ſuæ ſpeciei reſtaurat, & cineres patrios ſepelit: Alij dicunt, quod ex oſſibus & medullis naſcatur vermis, vnde fit pullus, qui priori funeri iuſta reddens, totum nidum defert in vrbem quandam Panchaiæ, Soli ſacram, ibique in ara deponit. Hæc ipſa ita facta credere, eſt omni ratione abuti, vbi nulla rei ratio apparet: Eſt quidam Saxo, qui multa eiuſmodi in Centonem collegit, & vocat Mendacia vera; Mendacia enim ſunt, re, vera opinione hominum: Sed nos eiuſmodi Allegorica rectius appellamus, cũ & eo fine ſint ficta, & non ad circumueniendum alios (quod abſit à venerabili vetuſtate) compoſita: Poetæ, quid faciant de hac aue, tantæ raritatis tantæque conſtantiæ ex fama, non habent: Martialis lib. 6. alludit ad nidũ huius volucris dicens; Quod ſemper cæſia cinnamoq;, Et nido nidi alitis ſuperba Fragras: Ouidius libro decimoquinto, Metamorph.

ad generationem eius respiciens ait:

Vna est quæ reparet, seque ipsa resemmet
ales,
Assyrij Phœnica vocant, nec fruge, nec
herbis,
Sed thuris lachrymis & succo viuit a-
momi.

Virgilius reparabilem vocat, dicens:

Alipedem ceruum coruus ter vincit, at
illum
Multiplicat nouies Phœnix reparabilis
ales.

Verum enim subiectum perpaucis ex iis notũ fuit, de Phœnice loquentibus, post Orphei, Musæi, Homeri, & aliorum antiquissimorum tempora: Verba ligata in metrum quamplurimis remansere & tota Deorum Ethnicorum genealogia, metamorphosis, & alia, at de intellectu & rebus ne tantillũ: Scrutentur illi grammatici censores & Critici catones veras origines harum fabularum, & ad Ægyptios absque omni dubio primos authores, acceptas referent: Ab illis enim Phœnices, & Græci (inter quos Antesignanus omnium est Orpheus,

pheus, & alij poetæ, nec non philosophi, quorum alibi meminimus) à Græcis Romani, omnesque alij libris propagata tot & tanta mutuati sunt: Sed vnde Ægyptij? ab Iside: Vnde hæc? à Mercurio: vnde iste? à Vulcano, primo inuentore, ea singula ad se translata singuli fatentur, cui etiam Phœnix, vtpote Ignea volucris, suos natales asscribit.

Capvt XII.

Vnde primorum hominum origo Ethnicis statuta, vbi de Viridibus pueris in Anglia visis, Paliscis Siciliæ & Tagete Hetruriæ, ex terra natis, agitur.

QVam absurda & puerilis fuerit opinio etiam doctissimorum & sapientissimorum apud Ethnicos virorum, si de primorum hominum origine, vnde & per quæ media nati fuerint, cogitationes susceperint, apud authores passim occurrit: Corn. Tacitus libro de moribus Germa-

norum, Germanos, inquit, indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus, hoſpitiiſq; mixtos, quia nec terra olim, ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant: Eſtque in hac ſententia eos primum è ſuo ſolo exortos eſſe, veluti blitum, gramen, atriplex, & eiuſmodi alia ex ſola putrefactione abſque vllo ſemine nata: Sed in hoc tantus vir fallitur, & à noſtræ ætatis pueris ridetur, qui nouerunt, primos omnium homines creatos eſſe à Deo gemino ſexu, quorum multiplicatione per generationem facta alij atq; alij migrarunt in ſibi vicinas terras, poſt quas in alias, donec mundus vniuerſus populis vbicunque repletus ſit: Ita quoque Germani ex proximis ſedibus in eam terram, quam nunc inhabitant, ante multa ſecula progreſſi ſunt; ne bonus ille Tacitus eos ex terra genitos ſua producere opus habuiſſet: Verum Creationis opus illis Ethnicis inauditum fuit, ſed vel mundum æternum alij eorum ſtatuunt cum Deo, vel poſt factum: Qui ho-

homines incepiſſe aliquando ſtatuunt, ex terra eos educunt aut aliena aut propria; qui ex propria, omnium antiquiſſimi & fortiſſimi habentur, vtpote à nullis aliis pulſi nec iis immixti: Multum itaque honoris Tacitus tribuit Germanis, dum vocat eos indigenas: Ad hæc putat nullas gentes adeo fuiſſe inſanas, vt cultiora loca Italiæ vel Aſiæ reliquerint, & frigora Germaniæ vaſtæ appetiuerint: Alij comminiſcuntur ex cœlo & terra per complexum mixtis primos deos, & ex diis primos homines generatos eſſe: ſunt qui ex grandium cetorum ſpermate coaluiſſe primos homines aſſeuerare audeant: Alij Terrigenas ex terra, vt mures è glebis Ægypti, prodiiſſe putant, magni corporis gigantes, à quibus hoc genus magis humile & minus robuſtum poſt extiterit: Nonnulli Deucalionis & Pyrrhæ poſt terga iactationem lapidum dediſſe multiplicationi hominum initium & occaſionem imaginantur: Sed quam longe hæc abſint à veritate, quilibet facile animad-

aduertere poteſt; nec opus erit, vt ſinguli refutentur in tam futili argumento: Gigantes antiquitus fuiſſe nullum eſt dubium, at tales & tantos, eoque modo editos ex terra quis credat: Terrigenæ & Titanes dicantur hominum arbitrio, & fingantur quod Iouem è cœlo congeſtis montibus deturbare ſint conati, ab eoq; fulmine extincti, interim præter allegoriam Chymicam (quam alibi expoſuimus) nihil ſubeſſe veritatis, inuenietur: Turris Babylonicæ extructio huic gigantomachiæ cum Ioue geſtæ fictionis materiam prębuit: Ex iis memorãtur Typhon ſeu Typhęus, Iapetus, Cæus, Aloeus: Enceladus in Sicilia, Othus in Creta, Typhæus in Campania occubuiſſe dicũtur: Præter hos Tityus gigas 9. iugerum, Polyphemus, AEgeon vel Briareus cẽtimanus, Antæus, Atlas, Gyges, & quamplurimi alij fabuloſe narrãtur: In Creta monte ex terræ motu rupto corpus 46. cubitorum comparuit: Beroſus facit Tuiſconem gigantem, cuius filius Mannus Germanorum pa-

pater extiterit: Sunt circulatores, qui Teutoboci, Teutonum regis ossa asserant inuenta in Gallia quorum habuere nonnulla ingentis magnitudinis, tria vel quatuor, quæ 400. fere pondo fuerunt: Verum falluntur & fallunt in eo, cum omnes scriptores vnanimi consensu tradant, cæsis à C. Mario Cymbris & Teutonis, Regem ipsorũ Teutobochum proximo in saltu comprehensum; cuius tantum fuit robur, vt quaternos senosq; equos transilire solitus fuerit; tanta proceritas, vt Romam ductus in spectaculo triumphi super ipsa quoq; trophæa eminuerit: Non itaque in Gallia mortuus aut sepultus fuit: Saxo Grammaticus meminit Offoti & Harthleni, gigantum, Plinius Agathonis Atheniensis iuuenis, Aranthæ Bebrycij, sacræ literæ Goliathi Philistæi: Vnde constat gigantes fuisse, sed non ex terra matre productos, sed aliquando à communis staturæ parentibus, natura nõ tam errante, quam ludente, vt quoque insolitæ magnitudinis corpora,
ma-

materiæ existente copia posse generare; exemplis quasi Emblematicis in orbe ostendat: Verum omnem superat captum hominum & fidem, ex terra quosdam generatos prodiisse; veluti tamen historiæ (nescio an fabulæ dicendæ) docent ante adducti Guilielmi Nouobrigensis; qui in Chronico rerum Anglicarum, libro 1. capit. 27. de viridibus pueris tradit in hunc modum: Vbi de Stephano Angliæ rege, qui regnauit ab Ann. Chr. 1136. ad ann. Chr. 1155. agit, Non prætereundum, inquit, videtur inauditum à seculis prodigium, quod sub rege Stephano in Anglia noscitur euenisse: Et quidē diu super hoc, cum tamen à multis prædicaretur, hæsitaui, remque vel nullius vel abditissimæ rationis in fidem recipere ridiculum mihi videbatur, donec tantorum & talium pondere testium ita sum obrutus, vt cogerer credere & mirari, quod nullis animi viribus possum attingere vel rimari: Vicus est in Estanglia, quatuor vel quinq;, vt dicitur, milliariis distans à nobili

mo-

monasterio beati regis & martyris Edmundi, iuxta quem vicum quædam antiquissimę fossæ visuntur, quę sermone Anglico Wulfputes, id est, luporum fossæ dicuntur; & vico, cui adiacent, suum nomen indulgent; (Vicus iste adhuc suum nomen retinet & vocatur Wulfpitte) Ex his fossis tempore messis & occupatis circa frugum collectionem per agros messoribus, emerserunt duo pueri, masculus & fœmina, toto corpore virides & coloris insoliti, ex incognita materia veste operti: Cumque per agrum attoniti oberrarent, comprehensi à messoribus ducti sunt in vicũ, multisque confluentibus ad tantæ nouitatis spectaculum, per dies aliquot tenti sunt cibi expertes: Cum ergo inedia iam pene deficerēt, nec tamen aliquid ciborum, qui offerebantur, attenderent, forte ex agro contigit fabas inferri, quas illico arripientes legumen ipsum in thyrsis quæsierunt, & nihil in concauitate thyrsorum inuenientes, amare fleuerunt. Tunc quidam eorum, qui ade-

aderant, legumen ex corticibus erutum porrexit eis, quod ſtatim libenter acceptum comederunt. Hoc cibo aliti ſunt per menſes aliquot, quouſque panis vſum nouerunt. Denique colorem proprium ciborum noſtrorum præualente natura paulatim mutantes, & ſimiles nobis effecti, noſtri quoque ſermonis vſum didicerunt: Viſumque eſt prudentibus, vt ſacri Baptiſmatis perciperent ſacramentum, quod & factũ eſt: Sed puer, qui minor natu videbatur poſt baptiſmum breui viuens tempore, immatura morte deceſſit, ſorore incolumi permanente & nec in modico à noſtri generis fœminis diſcrepante: Quæ nimirum poſt apud Lennam (vt dicitur) duxit maritum & ante annos paucos ſuperſtes eſſe dicebatur: Sane cum iam noſtræ vſum loquelæ haberent, interrogati, qui & vnde eſſent, reſpondiſſe feruntur, Homines de terra ſanctiMartini, qui ſcilicet in terra natiuitatis noſtræ præcipuæ venerationi habetur: Cõſequenter interrogati, vbinam eſſet

ter-

terra illa, & quomodo exinde aduenissent huc, vtrumque inquiunt, nescimus: Hoc tantum meminimus, quia cum quodam die pecora patris nostri in agro pasceremus, sonitum audiuimus, qualem nunc apud sanctum Albanum, cum signa concrepare dicuntur, audire solemus; cumque in sonitum illum, quem admirabamur, animo intenderemus, repēte tanquam in quodam mentis excessu positi inuenimus nos inter vos in agro, vbi metebatis. Interrogati vtrū ibidem vel in Christum crederetur, vel Sol oriretur, Terram illam Christianam esse & ecclesias habere dixerunt, sed sol, inquiunt, apud nostrates non oritur, & eius radiis terra nostra minime illustratur, illius claritatis modulo contenta, quæ apud nos solem vel orientem præcedit, vel sequitur occidentem. Porro quædam lucida non longe à terra nostra aspicitur amne largissimo vtramque dirimente. Hæc & multa alia, quæ retexere longum est, curiose percunctantibus respondisse feruntur: Di-

cat quiſque, quod voluerit & ratiocinetur de his, vt poterit, me autem prodigioſum mirabilemq; euentum expoſuiſſe non piget. Hæc ille. Quæ etſi fabuloſa æſtimari poſſint, cauſis non perſpectis, tamen cum circumſtantiæ tot & tantæ concurrãt, ipſeq; author proteſtetur, ſe, niſi plurimis teſtimoniis obrutus eſſet, non crediturum, pro mirabili caſu, vero tamẽ, admittimus: An horum ortum terræ aſſcribamus, an vero delatos eo dicamus aliunde forte ex Gronlandia vel Laplãdia, opera ſpirituum? Huic vltimæ opinioni potius, quam illi, aſſentimus: Simile quid antiqua habẽt monumenta de Paliſcis fratribus; Sunt autem Paliſci ſiue Palici, qui & Delli dicti ſunt, Iouis & Thaliæ Vulcani filiæ, gemelli filij, quorum talis recitatur hiſtoria: Thalia Mulciberis filia, nympha excellentis formæ inter omnes puellas Siculas fuit; cuius pulchritudine illectus Iupiter, illam ſæpe de concubitu interpellauit, multa blandiendo pollicitus, ſi complexum amantis admit-

mitteret: ſed vt erat venuſtate eximia, ſic quoque caſtimoniæ dotibus ornata procacius ſollicitantem ſæpius à ſe reiecit, virginitatis gloriam omni alij præferens commodo & vtilitati: donec tandem importunitate & vi ſuperata iuxta Simethum amnem, non procul à Catana, compreſſa eſt à Ioue: Illa dolens quod ſe grauidam ſentiret & vterum geſtaret, metuenſq; Iunonis iram, quam ſciebat, non æquo animo mariti adulterium laturam, grauemq; futuram & crudelem erga pellicem, maxime in partu, cui illa præeſſet, poſſetque per infinitos cruciatus prægnantem excarnificare, vt factum erat in Io Inachi filia in vaccam mutata, quam diu furiis agitatam vexauerat; in Latona, quam Python ſerpens horrendus proſecutus eſt, in Caliſto Lycaonis filia in vrſam mutata: Hæc & alia exempla Thaliam nō ſine cauſa terrefaciebant, quæ cum gemitu & lachrymis aſſiduo mortem inuocabat, Iouem accuſans, qui illam in has anguſtias coniecisſet, neque ab immi-

nentibus periculis illam eximeret: Conceptis igitur votis optauit, vt ſibi terra dehiſceret & occultaret, ab ira Deæ zelotypæ: Terra nymphæ miſerata molliter dehiſcēs illam recepit inter ſua viſcera & abſcondit tantiſper, donec expleto partus tempore, gemellos pareret pueros, patre ac matre dignos. Hos terra denuo ſe aperiens in lucem edidit, eo loco, vbi Siculi duos oſtendunt lacus, ex quibus pueros emerſiſſe ferunt: Vnde Paliſci dicti ſunt ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι, quod in terram immerſi, in lucem rurſus rediuerint: Theophilus ſcribit Palicenum fontem eſſe in Sicilia, iuxta Palicorum Dæmonum templum religione ſacrum, qui decacliuosvocatur, id eſt, magnitudine, quę decem lectos caperet, cuius aqua ad ſex cubitorum altitudinem exiliat, ita vt ſpectantes ſæpe diluuium loci metuant, iterumque intra ſe colligatur: De hoc fonte tractat Ariſtoteles in mirabilibus, quem appellat κρηνὴν ἐν Παλίσκοις. Siculi iuramenta ad hos lacus fieri voluerunt, vt alicuius innocen-

centia, vel ſecus, probaretur, & magnos honores, tanquam diis, Paliſcis tribuerunt: Satis ſit nobis, ortum eorum explicaſſe, quem ad allegoriam omnino referimus, inprimis cũ Thalia hæc Vulcani filia, & Paliſci illius nepotes fuiſſe dicantur: Religio & miracula loci ad dæmones iſtis lacubus latentes, referenda ſunt, qui hiſce homines in ſe fiduciã ponere voluerunt: Fuit quoque Tages in Hetruria mirabili modo ex terra editus, vt tradunt, filius cuiuſdam Genij, nepos Iouis, qui cum adhuc puer eſſet, Hetruriæ populos aruſpicinam docuit; & ſacrorum ritus, diuinandiq; ſcientiam; quam Hetruſci ſemper ſuperſtitione poſtea coluerunt & ſeruarunt inter ſe ſacroſanctam. Cicero lib. 2. de Diuinatione de eo ſic ſcribit: Tages quidã dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repente & eum affatus eſſe, qui arabat: Is autem Tages, vt in libris eſt Hetruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia: Eius

aſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque maiorem cum admiratione edidiſſet, concurſum eſſe factum, totamq; breui tempore in eum locum Hetruriam conueniſſe: Tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba exceperint, literiſq; mandauerint: Omnem autem orationem fuiſſe eam, quæ aruſpicinæ diſciplinis cōtinetur: Eam poſtea creuiſſe rebus nouis cognoſcendis & ad eadem illa principia referendis. De eo ſic Ouid. 15. Metamorph.

Haud aliter ſtupuit, quam cum Thyrrenus arator
Fatalem glebam mediis aſpexit in aruis,
Sponte ſua primum, nulloque agitante moueri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis,
Indigenæ dixere Tagen: qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Tages primus præceptor fuit Magiæ Romanorum, diciturque ſtatim ac è

terra

terra prosiliit, Dianæ Ephesiorum suum cultũ quasi cœlitus demissum ostendisse & apud Hetruscos hanc doctrinam publicasse: Sed huius Tagetis, vt nec antedictorum Paliscorum fratrum, generationis modum naturæ nemo asscribere poterit, si modo res historiæ & non potius fabulæ, sit similis: Diabolus absq; dubio suas illusiones hac ratione, quasi miraculo, hominibus immisit, vt author esset superstitionum infinitarũ, quæ ab huius Tagetis diuinatione & aruspicina originem duxerunt.

CAPVT XIII.

De monstrosis quorundã ortibus, Palladis ex cerebro Iouis, Hebes ex Iunone solo lactucæ esu, Virginis ex Buddæ latere, & his similibus.

NOn prætereundi sunt nobis hoc loco magis adhuc monstrosiores quorundam ortus, prout multorum monumentis traduntur, si mo-

do quid veritatis in ſe habeant: Mũdo quidem innotuerunt iam pridem & à veteribus Ethnicis ad nos quaſi per manus ſunt tranſmiſſa & pro veris tradita, quibus tamen allegoriam ſubeſſe variis ex cauſis alibi demonſtrauimus: Iupiter Deorum Hieroglyphicorum princeps cum deuoraſſet Metim vxorem ſuam, Oceani filiam (hæc Saturno pharmacum dederat, quo ille lapidem pro Ioue nato deglutitum euomuit) mox grauidus factus dicitur Palladem armatam è capite ſuo peperiſſe: Alij narrant Iouem compreſſiſſe Thetidem, ex qua cum intellexiſſet quendam natum iri, qui cœli imperio potiretur, eam abſorbuit; quare ipſe poſtea apud amnem Tritonem Palladem peperit, quæ propterea Tritonia dicta eſt: Matris itaque expers Pallas ſtatuitur; vti Hebe patris: Cũ enim Iuno Palladis ortum ex cerebro ſui coniugis factum intellexiſſet, ac ipſa ab Apolline in domum Iouis vocata ad conuiuium lactucas agreſtes inter cæteras epulas appoſitas come-

medisset, cum antea sterilis haberetur, grauida facta traditur post peperisse Heben filiam, quam Latini Iuuentatem appellarunt, Ioui pocula aliquamdiu ministrantem: Constat autem Iouem, Saturnum, Palladem, Heben, Iunonem, & his similes non fuisse Deos reuera, sed in opinionem hominum saltem ex Ægyptiorũ traditione, quæ prorsus allegorica & hieroglyphica, hoc est Chymica, fuit, deuenisse, sub quorum nomine postea dæmones multa quasi miracula præstiterunt, vt hominum animos sibi deditos deuincirent: Fabulosa itaque iam dicta censeantur, vt alia his similia magica: De Budda enim Gymnosophistarũ principe scribunt nonnulli, quod ex eius latere virgo enata sit: & Boissardus meminit in libro de magia, ca. 1. cuiusdam Iulij Camilli hominis fide digni, qui asseruerit ab amico suo per alembicum formatum fuisse infantem, cui vitam aliquot horarũ tribuerit: Res mira, si vera sit: sed quæ isti tradunt, inquit, referta sunt multa vanitate &

mendaciis, & fortasse profana & impia censeri debent, atque à Christiana traditione aliena: Verisimilius est, mechanica arte artificem imitari aliquo modo posse naturam, sed opera naturalia, quæ per animam perficiuntur, non æmulari; veluti constat, Architam olim fabricasse columbam, quæ sua sponte volare potuerit, cuius mentionem facit Fauorinus philosophus in A. Gellio, at quod ex carne & pennis viuam & veram columbam artificialiter componere sciuerit, incredibile est: Sic statua Mercurij articulata voce locuta perhibetur: Et Franciscus Georgius lib. de Harmonia mundi testatur Albertum Magnum conflasse caput aheneum, quod vocem distinctis & intelligibilib. verbis protulerit: Idem à Bacone Anglo factitatum referunt, quod dixerit; Tempus est, tempus erat, tempus præteriit: De Vlmo arbore, sub qua Thespion cum Gymnosophistis sedit, alibi narrauimus, quod voce tenui & fœminea, articulata tamen & perceptibili Apol-

pollonium Tyanæum eo aduenientem ſalutauerit & ramos aliquo modo ad terram inclinauerit: Quæ tamen dæmonibus potius aſſcribimus, quam vlli artificio aut naturali potentiæ: Non enim arboris eſt, vtpote vegetabilis, loqui ac moueri, quamuis de arbore Pudica, quæ ad acceſſum alicuius animalis ramos contraxerit & poſt abitum iterum expanderit, Theophraſtus antiquus autho tradat: Sunt & aliorũ ortus non naturales celebrati, vtpote Æſculapij, cuius mater Coronis, quod ex Apolline concepiſſet, à Diana interempta eſt; Cum vero rogo impoſita eſſet, Mercurius è ventre mortuæ fœtum viuum, Æſculapium extraxit, vel vt Ouidius lib. 2. Metam. canit, Phœbus ipſe; dum inquit:

Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdem
Semina, ſed natum flammis, vteroq; parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis ad antrum.

Dionyſij quoque ortus mirabilis eſt:
Cum

Cum enim Semele Cadmi & Harmoniæ filia, à Ioue grauida facta esset, ex Iunonis instinctu à Ioue petiit vt in posterum in Maiestate sua sibi adesset, quod cum impetrasset, combusta est fulminum ardoribus Semele, fœtu in eius vtero octauum iam mensem agente: Quem Iupiter inde extraxit, ne & ille periret, & suo femori inseruit, vt ad iustum maturitatis tempus ibi maneret: Sic de eo Ouid. 3. Metam.

------ rogat illa Iouem sine nomine munus:
Cui Deus, elige ait, nullam patiere repulsam,
Quoque magis credas, Stygij quoq; conscia sunto
Numina torrentis, timor & Deus ille deorum est:
Læta malo, nimiumq; potens, perituraq; amantis
Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,
Te solet amplecti, Veneris cū fœdus initis,
Da mihi te talem: Corpus mortale tumultus

Non

Non tulit aerios, donisque iugalibus arsit:
Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur, patrioque tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaque tempora complet.

Hinc iam natus, Dionysius dictus est, quia pupugerit Iouis femur, cum natus esset cornutus, vel vt alij volunt, quia Iupiter claudus esset, cum illum assutum femori gestaret, vel vt alij, quia Iupiter pluuiam dimiserit, cum natus fuit. Hinc & bimater vocitatus est: Meleager non assutum fuisse femori Iouis arbitratus est, sed ab ipsis Nymphis è cineribus maternis statim ereptum & educatum esse, vt alij, ab Horis in Ægypto, quem Orpheus Thebis natum finxit, ideoque nugari Ægyptiis visus: At hæc quomodocunq; sint, historiam non sapiunt, sed meram allegoricã traditionem; quã abunde in Hieroglyph. exposuimus lib. 3. Præterea, cum in Chymicorum libris de fœtu philoso-

ſophico (quo Dionyſij & Æſculapij origo quoque ſpectat) analogia quadam ad fœtum humanũ relata multa paſſim ſcribantur, quidam imperiti ea interpretantur de homullo vel homunculo per artem faciendo: vnde miros dolos ad ſimplices circumueniendos cõminiſcuntur, veluti in Examine Pſeudochymicorum fucorum meminimus: Eodem pertinet, quod aliqui de ſpermate humano (execrabili conatu) ouo gallinaceo includendo nugantur, inq; hominis exigui ſpeciem incubatione gallinæ vel calore furni, trãsformando; quod inſtitutum ſi non eſt diabolicum, negromanticum tamen videri poſſit: Non enim in ouo homines, vt pulli naturaliter, per artificium generãtur, quamuis Helena illa mulierum formoſiſſima belli Troiani, hoc eſt, opificij chymici, cauſa vna cum Polluce ex vno ouo prodiiſſe fingatur, & Caſtor cum Clytemneſtra ex alio, Læda matre ex compreſſu Iouis in Cygnum mutati grauida facta binis ouis, quæ peperit: De homun-

munculo quoq: Mandragoræ, eiusque mirabili ortu (si verus est) quid opinetur vulgus per totũ fere Christianum orbem est in propatulo: Existimant autem sub terra, cui patibulum seu rota cum maleficis imposita est, latere monstrum viuens forma infantuli viui & nigri, qui ad aspectũ lucis vocem emittit acutam, hanc quicunque audit, aut subito exanimatur aut rabie mala corripitur: Persuasum enim est illis, id generatum esse ex sacro Chrismate, quod is, qui est supplicio affectus, accepit in baptismate: Eius efficaciam esse ad multiplicandos nummos, diuinationem, ad conciliandos amores & eiusmodi alia: Modum eius adipiscendi, aut effodiendi sub patibulo, adiuncto cane, tradit ex vulgi Gallicani opinione Boissardus lib. de diuinatione circa finem.

CA-

CAPVT XIV.

De incubis & succubis, quibus generati aliquãdo homines præsupponuntur, & de memorabili historia Philinionis, quæ mortua è sepulchro prodiit & res amatorias exercuit.

DIcuntur homines quoque generati, præter communem naturæ ordinem, ex spiritibus, diis aut dæmonibus, incubo vel succubo, siue vere, siue ficte: Ferunt philosophorum principem Platonem sic natum de virginis partu, Perictione eius matre Apollinis oppressa phantasmate: Eodem modo Merlinum quendam Britannum ab incubo natum tradunt eo tempore, quo Saxones Angli insulam eam primitus occuparint: Ne quid de Alexandro Magno dicam, qui ab assentatoribus sibi persuaderi passus est, se esse Iouis Hammonij filium, qui cũ Ægyptum peragraret, ad Iouis illius templum in Æthiopiam vsque contendit, vbi pa-

patrem ſuum quęſiuit, an ſe agnoſceret filium, cumq; à ſacerdotibus ſubdolis in ſtatuis latentibus reſponſum accepiſſet, vnde colligere poſſet, ſe eius Dei eſſe filium, paulo poſt ſuperbior factus Philippum patrem ſuum ſæpe calumniatus & tanquam ad ſe non pertinentem vilipendit: quem cum quidam ex principibus eius defendere conaretur, interfectus eſt ab Alexandro inter pocula ebrioſo: Ita & Hercules natus traditur ex Alcmena Amphytrionis vxore ex adulterio Iouis, ſub forma Amphytrionis cum ea concumbentis: Sed hæc partim ficta omnino ſunt, partim fabulis aucta: Platonis enim & Alexandri Magni ortus ad gratiam illorum diis aſſcriptus eſt, Herculis allegorice & Merlini cum adiectione: Cum enim Plato tanta doctrina eſſet celeberrimus, diſcipuli eius diuinũ potius quam humanum illum dixerunt, ideoque Apolline, omnium ſcientiarum deo, parente dignum: Idem de Magno Alexandro, at adulatione maiori, ſtatuerũt

alij, quod tamen ille ex vulnere in prœliis accepto, cum vires ex profluentis ſanguinis copia imbecilliores factæ eſſent, falſum fere agnouit: Vlamenſes Tartari quoque iactitant, ſe originem traxiſſe ab incubo Genio potente, qui virginem nobilem compreſſit ad Mæotidem Paludem, ex qua ſuſcepit Vlamum, principem bellicoſiſſimum & gentis eorum authorem. Quæſtio vero, num ex incubis ac ſuccubis poſſit quid generari, ſi cum homine miſceantur, iampridem agitata & deciſa eſt, affirmando, quod id fieri poſſit, ſi non naturaliter, tamen ſupranaturaliter à Dæmone artifice mille illuſionum & dolorum: Monſtra eiuſmodi paſſim extitiſſe, omnium temporum hiſtoria & experientia patefecit: Aut enim ex mixtione dæmonis cum homine, mare vel muliere, ſæpe tales fœtus producti, ſemine aliunde mutuato, narrantur, aut vt ſuppoſititij pro aliis obtruſi: Vna nobis hiſtorica relatio ſatisfaciet, quod dęmones gaudeant Venereo complexu formoſorum: Pe-

Petrus Loyerus libro de ſpectris, inter alia producit hiſtoriam mirabilem deſumptam ex Æliano Phlegõte, Adriani Imperatoris liberto: Is ſcribit ſuo tempore Trallibus, vrbe Syrię vixiſſe virum patritium Demoſtratem, cui vxor erat Charito & filia Philinion, puella ſingularis formę & gratiæ, iam nubilis & à multis expetita procis, quæ in morbum lapſa è vita deceſſit, magno parentum & inconſolabili luctu & triſticia; qui filiæ vnicæ iuſta perſoluerunt, eiuſq; corpus lotum, & balſamo, diuerſiſq; aromatibus purificatũ condiderunt ſepulchro cum veſtibus, ornamentis & gemmis, quibus in vita delectata erat. Contigit autem poſt ſex circiter menſes, vt Machates, quidã adoleſcens honeſtis natus parentibus ad Demoſtratem venerit, cuius hoſpitio parentes Machatis vti erant ſoliti: Exceptus eſt comiter ab hoſpite & deductus in cubiculum ſuperiorum ædium: In quo ſub noctẽ, poſtquam aliquamdiu ſediſſet cogitabũdus de rebus diuerſis, audiuit è proximo cę-

naculo puellæ vocem, quæ ſtatim ingreſſa cubiculum hilari facie ſalutauit Machatem, illum nomine compellans: Ad eius ſubitum ingreſſum non parum motus eſt adoleſcens, ignorãs hoſpitis filiam (cuius hęc vmbra vocem, colorem, habitum & corpus induerat) iam dudum mortuam eſſe: Ea igitur proxime accedens & ſubridens, Deſine, inquit, mirari, ô Machetes: Hoſpitis tui ſum filia, quę poſtquam aduentum tuum animaduerti, iamdudum in amorem tuum ardenter pellecta, propter famã tuæ præſtantiæ & virtutum, ad te veni, contra ſexus mei decorem ſupplex, ne mihi tuum deneges amplexum: alioquin ſi meã petitionẽ durio rreiicias, pudore intolerabili preſſa & dolore repulſæ, habebo quod in poſterũ merito queri poſſim de tua ruſticitate & ſuperba arrogantia, teq; minus humanitatis habere, quam fama vulgauit: Vt autem tuo amore ſecurins fruerer, horam delegi congruentem noſtro concubitui, dum abſunt conſcij & quieſcunt primo

ſomno parentes. Iuuenis aſpectu virginis formoſiſſimæ motus erat, eiuſque deſiderio ardens, vltro in illius amplexum labens, cum ea concubuit in lectulo proximo; vocatumque famulum iuſſit menſam inſtruere & cibos apponere, vt cũ puella commeſſaretur. Dum hæc gererentur, Charito ad ſtrepitum excitata, iuſſit ancillã ad hoſpitem ſe conferre & diligenter obſeruare, quid in eius cubiculo gereretur, & an aliqua re indigeret: Ea poſtquã ad cubiculi limen perueniſſet, nõ auſa eſt ingredi, quod audiret vocẽ mulieris cum hoſpite: Pedetẽtim igitur accedens ad oſtium ſemiapertum, intuita eſt Philinionem menſæ aſſidentem & genio indulgere cum Machate; reuerſaque ocyus ad dominam admodum perterrita, illi renunciauit, quæ viderat. Sed Charito verba ancillæ non admodum curans, Deliras, inquit, quaſi ignores filiam meam ante ſex menſes defunctam & ſepultam: Atqui, reſpondit, Philinionis obitus inſcia non ſum: ſcio tamen (& hi mi-

hi testes sunt oculi & aures) me illam vidisse & audiuisse colloquentẽ cum tuo hospite: Cumque vrgeret, vt Hera in cubiculum ascenderet, & rem veram esse præsens cognosceret, importunitate ancillæ compulsa, venit ad cubiculi ostium, audiensq; quieta esse omnia (intercesserat nempe aliquod temporis spacium, & amantes se lectulo composuerant, somnoque iam vacabant) nõ ausa est dormientes excitare: agnouit tamẽ ad lucernæ splendorem Philinionis faciem, vestes & ornamenta. Misera mater metu mixtaque lætitia percita, subito se è cubiculo extulit, expectãs ortum auroræ, quo ad Philinionem reuerteretur & inquireret de reditu eius solertius: sed ante crepusculum, post multa basia & repetitos magno affectu complexus, puella Machati valedixit: Redeundum est, inquit, mihi in meam cellulam ante lucem, ne parentes quicquam de nostris amoribus suspicentur: Sed ad te redibo nocte sequente, & desideria simul complebimus: Vt autem me

gra-

gratam agnoſcas, ecce munuſculum mutuæ beneuolentiæ & pignus amoris offero, mammillare pectoris mei tegumentum & annulum aureum, quæ in mei memoriam ſerues, rogo: Machates donum excepit volens, viciſſimq; illi donauit annulum ferreum, quem digito gerebat, & argēteam pateram auro perfuſam ſingularis artificij. Aurora iam illuceſcente Charito ſe ex cubili proripiens, celeriter ſe in Machatis contulit cubiculum; cum quo poſtquam non inueniſſet filiam, multis cum lachrymis illum rogauit, quonam deueniſſet Philinion, & quid cum ea egiſſet, & de quibus inter ſe fuiſſent collocuti? Quod Machates ordine recitauit, oſtendens mammillare & annulum, quæ dono acceperat à diſcedente. Hæc mater plorabunda manibus excepit, agnouit & lachrymis perfudit. Promiſit interea hoſpes ſe daturum operam, vt ſequenti nocte, poſtquam reuerſa eſſet puella, mater ſtatim per famulum accerſeretur, quod factum eſt: Nam Philinion

eadẽ, qua prius, hora rediit ad amasium: Et famulus, qui id ex Domini mãdato iussus erat, se celeriter contulit ad Charitonem: Ea expectans occasionẽ venit ad Machatem, cum quo inuenit filiam cubantem in lectulo: Tum renouata admiratione & insoliti spactaculi perturbatione extra se rapta cum marito, qui simul eo conuenerat, procumbentes vterque in filiæ pectus eam sæpe repetitis osculis basiarunt & fusis lachrymis cum mira animi anxietate perfuderunt: Quibus Philinion vultu aliquantulum tristi, Heu! miseri & infortunati parentes, qui mihi tantillum fœlicitatis inuidistis, neq, tridui tantum conuersationem cũ hospite dilecto ferre potuistis. Ah, quãti vobis constabit importuna hęc curiositas, quantum dolorum, quãtum eiulatuum vobis paulo post mouebit? Hæc vix effata erat, cum subito vmbra euanuit, relicto corpore frigido & exsangui: Tum parentes doloribus nouis oppressi, prouoluti in cadauer eiulatus cũ lachrymis profusis

fusis extulerunt, septius repetentes, Philinion, Philinion, filia dulcis & vnice dilecta; an hoc spectaculo nos commouisti in spem restitutæ tibi à Diis vitæ? Quid nos iterum fugitiua deseris, mersos tantis animorum angustiis? an oportuit te à regno silentum & Diis Manibus reuocari, vt te iterum mori spectaremus? Quin potius ipsa mors infœlices tuos parentes ex hac vita sustulit, vt te inuiseremus fœliciter degentem cum beatis animabus quiete fruentibus in amænis Camporum Elisiorum viretis: sed ter & quater infaustis nati syderibus & Diis iratis obnoxij à tuo decessu. Fortuna nobis semper contraria & inimica statuit nos inuolutos omnibus vitæ incommodis deploratam calamitatẽ ferre, priuatis omni consolatione, vt nobis viuere amarius sit, quam mori. Ad has acclamationes tota familia experrecta statim se contulit ad Herum & Heram; famaque rei gestæ ad vicinos perlata, illico innumera multitudo ante ædes confluxit, demum tota ciuitas ru-

more rei inuſitatæ commota conuolauit: Sed Præfectus, vti vir prudens, ne quę conſpiratio & turba per tenebras moueretur, eo quoque ſe contulit præſidiariis militibus ſtipatus, iuſſitque vniuerſam populi turbam domum ſe recipere, & ædes Demoſtratis diligenti cuſtodia cingi, vſque ad ortum ſolis: Quando populus iterum domibus egreſſus magna turbæ frequentia Theatrũ compleuit, ibique de re, quæ contigerat, vnuſquiſque ſuam ſententiam proferebat: Viſum eſt interim Senatui, vt ex ciuitatis pręſtãtioribus aliqui deligerentur, qui cum Præfecto vrbi ſe conferrent ad ſepulcrum defunctæ, & inuiſerent, an illius corpus illic iaceret: ſed in conditorio nihil inuenerunt præter pateram & annulum, quæ dono data erant puellæ à Machate: Reuerſiq; in domum Demoſtratis, teſtimonio parentis vtriuſq;, cognouerũt cadauer, quod in lectulo iacebat, eſſe verum defunctæ filiæ corpus: Dũ omnes in admirationem rapti dubij ambigerent, quid faciendum

dum esset, surrexit Hyllus quidã augurandi scientia clarus inter Trallos: Is censuit, Philinionis corpus extra vrbis pomæria trahendum, & exponendum alitibus & feris, neq; patiendum, vt sepeliretur secundo; insuper vt ciuitas expiaretur, sacrificiis placarentur Eumenides & Mercurius χθόνιος; vtque ciues omnes lustrarentur, templa omnia sanctificarentur, ludique celebrarentur à populo in honorem Manium; vtq; vrbi Præfectus, quam cito fieri posset, sacrificaret separatim Ioui Hospitali, Mercurio & Marti, pro Imperatoris incolumitate: Huic sententiæ acquieuit populus, sacrisque ceremoniis exquisitis absolutis, licet parẽtes summo dolore & tristicia consternati, quod cadauer insepultum relinqueretur, obnixe efflagitarẽt, ne postremum humanitatis officium negaretur mortuæ, quod non obtinuerunt; & Machates paulo post è vita decessit. Tantum ex dicto authore: quod satis conuincit dæmonum concumbendi cum hominibus desiderium,

vt ſexcenta alia prætereamus: Vti autem eos ad id perficiendum cadaueribus hominum ſepultorum vel ſuſpenſorum, iam ſæpe ab Experientia patuit.

CAPVT XV.

De Lycăthropis ſeu Lycaonibus, qui ex hominibus conuerſi in lupinam formam & rabiem, ſyluas petunt, homines & pecudes aggrediuntur, iiſq; multiplicia damna inferunt.

CVm abiectio formæ veteris & aſſumptio nouę, ſit generatio, non immerito in hoc de generatione miraculoſa tractatu agendum videtur de transformatione hominum in lupos, feles, aſinos, porcos, aliaque animalia, quæ fit non natura, nec arte naturali & licita, ſed ſupranaturali & illicita: Primo itaque dicemus de Lycaonibus, ſeu iis, qui in lupos mutantur, ſeu mutari videntur ex diaboli illuſionibus: Herodotus de Lycao-

caonibus in hæc verba ſcribit: Perhibentur à Scythis, & ab iis, qui Scythiam incolunt, Græcis, ſemel quotannis homines fieri lupos, & poſt aliquot dies in priſtinum habitum redire, quod tamen dicentes mihi non perſuadent. Hæc ille. Multi vero cum ipſo Herodoto hac in parte ſentiunt, dum negent huiuſmodi, quæ non percipiunt ex cauſis quomodo fiant: De Neruis ſiue Neruiis loquitur Herodotus, qui Liuonienſium oram extremam (vbi oppidum adhuc Narua eſt) prope Roxolanos coluerunt: Liuonienſes dicuntur Ptolemæo Igilliones, quibus vicini ſunt Sudini & Ganildæ, vbi eſt hodie Curorum regio: Hæ mutationes & metamorphoſes in lupos, quæ Herodoti tempore in vſu fuerunt, hodierno quoque die frequentiſſimæ ſunt in Curonia, Liuonia & Lithuania, vbi magnus eſt talium veneficorum numerus, qui dæmonum miniſterio vtuntur in omnibus operis domeſticis exequendis, inſeruiunt in culina, tractant equos, ſarcinas, quo iubentur,

tur, deportant, temporis momento literas in longinquas ferũt regiones & responsa exhibent, sed inter alia homines hi, qui commercium familiare contrahunt cum Dæmonibus, cum volunt, sese in lupos transformant, vagabundique turmatim per pagos & vicos irrumpunt ferino furore in casas & mapalia rusticorum, infinitaque mala inferunt hominibus & pecudibus: singulis autem annis in festo Natalis Christi, accepta luporum forma innumera multitudine conueniunt in vnum locum, qui est inter Liuoniam, Curoniam & Samogethiam, vbi mœnia diruta & ruinæ ostenduntur veteris cuiusdam castelli inhabitati: illic erectus eminet paries reliquis ruderibus elatior, ad quem vniuscuiusque Lycaonis probatur agilitas & promptitudo in transiliendo muro: Hunc qui non potest statim transiliendo superare propter corporis obesitatem (nam transformati in lupos retinent eandem corporis proceritatem & distentos pingui abdomine ven-

ventres) loris & ſcuticis acerbiſſime mulctatur à præfectis Dæmonibus, qui cateruas illas lupinas cogunt & agunt in ea loca: Hæc habet Olaus Magnus, libro decimooctauo, capite quadrageſimoquinto: In Liuonia quoque aſſerunt viri graues & fide digni ſub finem Decembris Magos omnes & veneficos citari à Dæmonibus, vt in certum locum deſtinatum conueniant turmatim: quod quicunque cunctanter agit, à Dæmone virga ferrea grauiſſime punitur, vicibus liuidis cum ſummo dolore per multos dies ex contuſione permanentibus. Præit Dæmon præfectus, illum ſequuntur multa veneficorum millia, vrgentibus aliis dæmonibus à tergo, qui tardos & reluctantes verberib. compellunt: Poſtquam fluuium tranarunt omnes & in aduerſam traiecerunt ripam, in lupos transformantur, ſæuiuntq; horrẽdum in modum in omnes obuios, oſtia domorum ruſticanarum effringunt, pueros laniant, pecudes trucidant, cibos deuorant & cereuiſiam

diſ-

discussis doliis epotant, neque vllum est damnum, quod truculenter non inferant miseris hominibus: Post duodecim autem dies simul gregatim flumen remeantes superant & in pristinam restituti formam domum se recipiunt: De hac Lycanthropia lege Casparum Peucerum, Theodorum Zuuingerum, Olaum Magnum, Thomam Garzonium, Zieglerum, Sprengerum, Wierum, Bodinum, & alios, qui infinitas de his veneficis collegerunt historias; quibus fidem abrogare, insani esset hominis, licet ea omnem causam naturalem non admittant: Sed quæ contra naturam fiunt, & quæ ratione probari non possunt, verisimilia multis non videntur; Causa hæc est, quia omnia diuina & humana, naturalia & supranaturalia se sua ratione posse capere ratiocinantur, in quo falluntur: Stultum esset, statuere à tantis viris mendacia prolata de iis, quæ tot seculis anteactis auctorum grauiū authoritate confirmata sunt, & Experientia quotidiana demonstrat

ſtrat eſſe vera. Quæ impudentia eſſet, inquit Boiſſardus, Olaum Magnum ex Gotthia oriundum temere fabulas effutire de iis regionibus, vbi Epiſcopatum geſſit cum ſumma laude & vitæ integritate? quem tamen tanquam fabuloſum authorem multi derident, non animaduertentes illum, niſi vera ſcripſiſſet, habiturum inter ſuos quamplurimos, qui illi cōtradicerent & eius ſcriptis omnem authoritatem & fidem abrogarent. Tradunt hiſtorici inter quos eſt Garzonius, magnum Ruſſiæ ducem, iuſſiſſe ſibi adduci capituum Lycaonem, qui multa damna ruſticis intulerat: Hic tandem captus & cathenis arctiſſime vinctus in præſentiam principis venit, à quo interrogatus, verumne eſſet, quod in lupum transformaretur; illo affirmante, veriſſimum eſſe: Age, inquit princeps, fac videam hanc metamorphoſin: Tunc ille venia data parumper ſecedens cum cuſtodibus, in locum teſtibus remotis aliquamdiu ſedens, peregit ea myſteria, quæ à Diabolo accepe-

rat, ſtatimq; in lupum mutatus ſcintillantibus oculis & exerto horrendum in modum rictu, erectis in tergo ſetis, ſeſe obtulit cuſtodibus, cathenis tamen iiſdem vinctus. Dux interea moloſſos duos canes ferociſſimos & robuſtiſſimos acccerſerat, quos in lupinum hoc monſtrum immiſit; à quibus diſcerptus & dilaniatus eſt, antequam priſtinam poſſet recipere formam. De his mihi aliquando colloquia habita ſunt cum viro quam nobili, tam docto, Wernero Berr, Curone dynaſta, & principi Boruſſiæ à ſecretiſſimis conſiliis Regiomonte Boruſſiæ, qui fide digniſſimus omnique exceptione maior mihi narrauit, quod, tum ante paucos annos, cum auunculus eius vir nobilis aliquando rus iuiſſet, hyeme omnibus niue tectis, ſclopeto ſeu bombarda (vt ſolent) inſtructus, inciderit non procul à pagis ſuis in lupum ingentis magnitudinis & feritatis, à quo cum horribili rabie infeſtaretur, ipſe arrepta bombarda globulis pyriis emiſſis læſit eum in alter-

utro

utro lumborum, magno vulnere; vnde deſtillante ſanguine claudicãs lupus aufugit: Altero die mane vir nobilis eodem ſe contulit ea intentione, anne inueſtigare poſſet Lycaonem, & obſeruauit manifeſtiſſime & veſtigia lupina & guttas ſanguineas in niue, quæ ipſum deduxerunt ſequentem in ſuum pagum ad cuiuſdam ruſtici domum, in quam ingreſſus quæſiuit ruſticã de marito, vbi eſſet aut quid ageret? quæ reſpõdit, illum ſe continere in lecto, quia in taberna cereuiſiaria heſterna veſpera læſus foret: Verum ille dolum olfaciens minis ſeueriſſimis præcepit ei, vt diceret, vbi & à quo vulnus illud, quod apparuit in lumbo, accepiſſet; vnde coactus tandem rem, vt erat, confeſſus eſt, nempe quod in lupum mutatus, ipſum ſuum dominum aggreſſus hoc vulnus accepiſſet: Qui deinde tormentis ſubiectus alia quoq; facinora confeſſus, flammis combuſtus eſt: Idem vir nobilis & hanc mihi veriſſimam hiſtoriam retulit Exemplo Lycaonis producto,

quod refelli aut negari à nullo poterit: In iis locis, Curoniæ & Liuoniæ, dicebat, quemlibet veneficum Lycaonem, posse alium inficere eodem veneficio seu Lycanthropia, potando cum eo & certa verba aut ceremonias addendo, (Dicere autem, vt accepi, solent, Fiat tibi, vt mihi) quibus si quis tacendo assentiatur, nec Dei nomen aut benedictionem interponat, mox eodem affectu dæmoniaco corripitur: Virum aliquando nobilem, ferebat, cognoui familiariter, quem fama erat Lycaonem quoque fieri & veneficio illi deditum esse: Cum eo in præsentia aliorum aliquando in hunc modũ locutus sum inter liberaliora pocula, audiui, inquam, popularibus rumusculis, te quoque lupum fieri & Lycaonis personam induere, quæ res cum sit omni rationi contraria, captumque meum superet, nec à natura admittatur, à me credi nequit, sed pro phantasmate & imaginatione habetur? Tum ille, Quid, respondit, non hæc credis? En tibi manum

num meam; quo dicto manum porrexit, quæ ſtatim in momento in lupinum pedem, pilis hirſutum & horrendum, mutata eſt, dum ab amico illo meo apprehenderetur; qui attonitus & ſtupefactus, quid mihi, inquit, eſt negotij cum tuis diabolicis illuſionibus & hominem reliquit, qui accepta forma lupina è veſtigio in ſyluas fugit & ſocietatem ſuam reliquit. Wierus libro quinto, de præſtigiis dæmonum, ſcribit in Archiepiſcopatu Veſuntino, duos paſtores, Petrum Burgotum & Michaelem Verdunum ſupplicio publico viuos fuiſſe crematos, quod vnguento à dæmone accepto, quotieſcunque liberet, ſeſe linerent, & ſtatim in lupos verterentur, ſæuirentque in homines & greges, quibus grauiſſima damna intulerunt, antequam agnoſcerentur, idque accidit anno ſalutis, milleſimo quingenteſimo viceſimoprimo. De Mæri loquitur his verbis Virgilius in Bucolicis:

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta
venena

 Ipſe

Ipse dedit Mæris, nascuntur plurima Ponto:
His ego sæpe lupum fieri & se credere sylvis
Mærin, sæpe imis animas excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Quod de hominibus transformatis in lupos dictum est, idem de aliis in alias ferarum vel iumentorum formas transuersis sentiendum est: Extant enim de illis, vtpote asinis, bobus, felibus & similibus quasi factis diuersæ historiæ, apud Vincentium in speculo historico, Saxonẽ Grammaticum, Diuum Augustinum libro decimooctauo, de ciuitate Dei, capite decimoseptimo, Guilielmum Tyri Archiepiscopum, & alios; quas singulas adducere non est loci, nec propositi.

CA-

Capvt XVI.

De Geniis, num generent ac generentur, quid ſint & quomodo vocentur, qui euocari ſint ſoliti, vnde Syluani, Lamiæ, Satyri, ſtryges, & quid operentur, quidve imputandum cacodæmoni.

VErba ea, quæ habentur in Geneſi, capite ſexto, Cum vidiſſent Filij Dei filias hominum formoſas, eas ſibi adiunxerunt vxores; alij intelligentes ſecundum literæ ſonum, interpretantur de commixtione Venerea angelorum bonorum cum mulieribus: Sed ſpiritus cœleſtes ſeu angeli concupiſcentiis carnalibus non tanguntur, neque mortales homines ad pollutiones nefarias ſollicitant; quod credibile eſt fieri à malis Dæmonibus, qui fœdis his libidinibus veneficorum genus perditum pelliciunt ad ſuum ſeruitium & à Dei cultu auertunt: Mahometano-

rum opinio eſt ſecundum Alcoranum, Angelos quoſdam, qui mulierum pulchritudine tum capti fuerint, à Deo punitos eſſe & Babylone in puteo profundiſſimo vinctos detineri: Sed hæc erronea & falſiſſima ſunt, & exploduntur à Theologis doctioribus, qui dictum illud, filios Dei vidiſſe filias hominum formoſas, non explicant de Angelis, ſed de poſteritate Sethi, qui Deo ſummo inſeruiebat, quorum filij duxerunt vxores ex filiabus Caini, à Deo alienati: At nihilominus gloſſa ſuper Geneſin ait: Non eſt incredibile, quoſdam homines à quibuſdam Dæmonibus genitos, qui ſunt mulieribus improbi, de quibus Auguſtinus libro de Ciuitate Dei decimo quinto, & Scotus Sententiarum ſecunda diſtinctione ſeptima. Ita Genios antiqui affirmarunt muliercu lis mortalibus adiunctos, ex quibus ſoboles ſuſtulerunt: Vt de Genio Sabino, qui puellæ nobili Cureti è chorea raptæ vim intulit in templo Quirini, ex quo ſuſceptus eſt Deus

Fidius, qui Sanctus dictus est & Semipater, author Curium vrbis Sabinorum: Genius autem dictus est antiquis, Deus naturæ, qui omnium rerum gignendarum vim quandam in se habet: Vnde vnicuique suus datur genius; de quo ita Seruius: Genius naturalis Deus est loci, vel rei vel hominis: Varro Genium appellabat vniuscuiusque animum rationalem; & ideo esse singulos singulorum, nascique nobiscum, & nos suscipere, dum nascimur, & vnicuique nostrum custodem dari per totam vitam: Et Censorinus, Genius, inquit, ita nobis assiduus obseruator appositus est, vt ne puncto quidem temporis longius à nobis abscedat, sed ab vtero matris acceptus ad extremum vitæ diem comitatur; Genium hoc appellari numen ait, siue quod in eius tutela, vt quisque natus est, viuat, siue quod, vt generemus, curet, siue quod vna gignatur nobiscum, siue etiam quod nos genitos suscipiat & tueatur. Seruius ex his alios deducit, vbi de Geniis, siue vt

vocant, diis Manibus loquitur: Manium, inquit, plena sunt loca inter lunarem & terrestrem circulum, vnde defluunt: Dicti enim sunt Manes à manando: Sunt enim præsides corporibus humanis attributi, qui ex parentum seminibus manauerunt, quo tempore prima fit conceptio; & ideo post mortem iisdem corporibus delectantur, atque cum eis manentes appellantur Lemures; qui si vitæ prioris honestate fuerint aduti, in Lares domorum, vrbiumque conuertuntur: Sin autem deprauati sint in corpore & vitiis criminibusque inquinati, corpore soluti, fiunt Laruæ, Mormones, Empusæ & terriculamenta nocturna: Penates dicuntur præsides domorum, per quos, vt ait Macrobius, penitus spiramus, per quos habemus corpus, & per quos rationem animi possidemus: Geniis olim sacra fiebant ab vnoquoque, die natiuitatis, vino & floribus tantum, non victima: Cumque loca singula, montes, fluuij, fontes, lacus, speluncæ, domus

mus

mus & vrbes ſuos haberent Genios, Magicis exorciſmis & adiurationibus euocari conſueuerũt magorum ſtudiis ; qui cum alicui malefacere velint, putant, ſuas cereas imagines & incantationes nullam efficaciam habituras, niſi exorciſmis euocent genium illius, cui obeſſe velint: cumque euocandorum Geniorum nomina propria, quibus compellari debent, ignorant, ea diſcunt per ſuperiores cœli poteſtates, vt aiunt, quorum imperio ſubſunt minores hi Genij tutelares animæ vniuſcuiuſque, fitque vt Genius bonus ſubtractus à tutela hominis, coerceatur tam diu ſeparatus, donec homo alteri Genio noxio traditus in ſumma diſcrimina pertrahatur, etiam cum vitæ periculo: Neque ſolum Genij hominum boni remouebantur coniurationibus à tutela eorum, quos ſeruabant ſub ſua protectione, ſed idem quoque fiebat de vrbibus: Nam in oppugnandis vrbibus Romani ſoliti erant per Sacerdotes ſuos euocare Genium & Deum Tutelarem vrbis

ob-

obſeſſæ, cui viſo ſacra faciebant, laudibus extollebant & offerebant apud ſe (ſi emigrare vellet) eundem cultum, vel etiam ampliorem honorem, quam apud obſeſſos haberet: Ideo tradit Plinius ſumma cura & induſtria occultatum fuiſſe apud Romanos nomen Genij vrbis (qui Romaneſſus vocabatur) ne ſi aliquando vrbem cingi obſidione contingeret, hoſtes aliquid ſimile tentarent & molirentur. Verum nos vnum eundemque dæmonem omnia hæc operari in animis hominum & in rebus operationes obire credimus, qui tot gradus aſſumere poteſt, vt etiam Angelus lucis videri & æſtimari poſſit: Illius illuſiones ſunt multiplices: Deus, angeli boni, anima hominis, dæmones maligni, & Natura, operantur omnia, quæ facienda ſunt; Vt ad hæc quinque referantur vniuerſæ actiones neceſſarium videtur: Quid igitur opus eſt genio, vbi natura cuiuſque rei eſt, vel anima, quo ad hominem, immortalis, vel angelus bonus aut malus?

De

De Iamblicho hoc narratur: Illum ad Gadara vrbem Syriæ cum aliquot diſcipulis veniſſe, vbi thermæ ſunt ſaluberrimæ: Dumque illic lauaret, orta de balneis diſceptatione, iuſſit diſcipulos ſciſcitari ab Indigenis loci, quibus nominibus vocarentur duo riuuli aquæ calidæ, cæteris elegantiores: Gadarenſes reſponderunt, vnum riuulorum appellari Erotem, alterum Anterotem, ſed cauſam harum denominationum ſe ignorare: At ille ad orificium riuuli ſedens, aquam manu contigit, obmurmuratiſque aliquibus verbis arcanis, fremere leni murmure tellus cœpit & aqua vberiore fluctu inundare: Tum puſio ex imo fontis emergens candido corpore, commoda corporis ſtatura, coma fulua, dorſi cute nitida, qui lauanti ſimilis erat, apparuit. Ad eius conſpectum reliqui comites ſubito attoniti ſteterunt, admirabundi, quid illud eſſet Genij: Tunc Iamblichus ad alterum fonticulum tranſiit, illique, ſicut prius, magicum carmen obmur-

murmurando, alterum Amorem euocauit, priori in omnibus ſimilem, præterquam quod comas rutilo colore in fuſcum deſinentes & per colla deciduas gereret: Ambo hi pueri ſimul conuenientes arctiſque complexibus ſibi inuicem cohærentes mutuo colludebant & iocabantur, Iamblichum tanquam naturalem patrem intuebantur, hilarique & ridenti vultu amice ſalutabant, quos ille molliter excipiens demulſit, ac eorum quemque in proprias ſedes remeare præcepit, dicens adſtantibus, eos eſſe loci Genios, promotores aquarum tepentium, quæ ad lauacra erant neceſſariæ: Eius potentiam omnes admirabantur & ſuſpiciebant, vt cui Dij obtemperarent. Verum præter Dæmones, qui Iamblicho cum voluit, ad manum fuere, iſti nihil extiterunt, quos ideo accerſiuit & loci genios vocauit, vt ſibi authoritatem apud diſcipulos compararet. De Apollonio Tyanæo quod traditur, veriſimilius eſt, quod Menippum adoleſcentem forma

na ſingulari à Lamia ſiue Empuſa
Phantaſmate amatum liberarit: So-
lent Stryges iſtæ ſeu Genij mali a-
more formoſorum æſtuare, & cum
iis impudico coitu copulari & coin-
quinari, vt poſtea turpibus pollutio-
nibus fœdatos illos pelliciant & de-
uorent. Lamiæ hoc ſpectrum for-
mam puellæ venuſtiſſimæ aſſumens
adoleſcentem in ædes ſumptuoſas &
ſupellectile precioſiſſima ornatas
conuiuio exceperat, omnibus edu-
liis delicatiſſimis inſtructo, eique
iam nubere cum vellet, adueniens
Apollonius, Dæmonis agnouit te-
chnas, adoleſcentiſque miſertus ex-
orciſmo phantaſma repulit & om-
nem illum apparatum oculos ſpe-
ctantium fallentem in nihilum rede-
git, hocque modo miſerum iuue-
nem ab imminenti periculo libera-
uit. Idem Apollonius tranſiens per
quendam Æthiopiæ vicum, Saty-
rum mulieribus infeſtum vini potu
ſopitum vinxit, & ne in poſterum
vim inferret illi regioni, cauit: Inter
hos impudicos Genios primus ſem-
per

per datus eſt locus Syluano, quem Ælianus in hiſtoria animalium ſcribit conceptum fuiſſe ex concubitu Crathis Sybaritæ cum capra: Ex ea natus eſt puer humano caprinoque corpore vt vmbilico tenus vir eſſet, capite tamen cornuto & labris prominentibus, cincinnuliſque pendentibus ſub mento, hœdorum in morem; reliquum corpus in pube deſineret in hircum denſis ſetis horridum & pedibus vngulatis, bifurcatiſque: Eum Sybaritæ inter ſuos deos retulerunt & vocauerunt Syluanum, quod in ſyluis habitarit: Hic eſt prægnantibus moleſtus, quarum ſanguinis fluorem in partu vrgere dicitur, partes offenſas libidinoſe contrectare, & ſæpe in diſcrimen vitæ puerperas inducere: In hunc quoque diem Iudæorum mulieres exiſtimant certos genios malos & impudicos difficiliorem partum reddere, prægnantibuſque eſſe grauiter infeſtos: Ideo illos characteribus adſcriptis ad cubiculi parietes, vbi puerpera enititur, arcere conantur.

tur. Adſcribunt enim deſignatis circulis HVTZLILITH: Atque Genios hos noxios Lilith appellatos caballiſtæ dicunt à principio mundi in Paradiſo fuiſſe genitos ex profluuio ſeminis Adami, antequam cum Eua vxore congrederetur: Habere eos quidem corpus palpabile & ſenſibus ſubiectum, ſed aerium, ſubtile & euanidum, quod aliquando videtur in ſpeciem nubeculæ raræ & perſpicuæ, quæ facile cedit omnibus obiectis & euaneſcit in parietes impactum, vel in aërem ſublatum. Horum vita eſt annorũ mille; augmentum ſumunt & vegetantur, ſeneſcuntque more reliquorum hominum: propagatur eorum ſpecies pollutionibus nocturnis & Veneriis virorum ſomniis: Libidinoſi ſunt & plurimum delectantur menſtruorum fluxibus, quibus robur aſſumũt & vitæ diuturnitatem confirmant: Accubant iuuenibus, noctu titillant, ſpiritus genitales excitant & vaſa ſeminaria relaxant, vt ſeſe his pollutionibus reficiant. Verum has

esse meras imaginationes, nemo est rationalis, qui dubitare possit: Quicquid præter naturam à Genio vel Satyro vel Syluano fieri creditur, absque dubio à spiritu maligno, qui mere spiritus est & corpus non habet, nec generatur, quamuis generare diatur, fieri existimandum est: Hi enim, vt supra quoque innuimus, sunt impudici, qui se commiscent hominibus, suis mancipiis sub hominum forma vtplurimum ornata & bella, & nomine aliquo hominibus vsitato, veluti sub similitudine viri robusti & egregie formati, si cũ muliere Venerem exerceant; si cum viro, faciem assumũt muliebrem, tam forma, quam habitu cultissimam: sed omnes vno ore asserunt, parum delectationis in his concubitib. percipi, propter frigiditatem, quæ coitus desiderium euanidum reddit: Imo Satanas dicitur sæpissime interrogare mulierculas, an velint ex iis concipere; quod si assentiantur, semen humanum aliunde assumptum & in suo naturali calore asseruatum trans-

transfundit in vterum mulieris, ex quo conceptus ille diabolicus formari creditur. Quicquid igitur Geniis aſcribitur, non raro malo dæmoni conuenit, interdum naturæ, prout opera ſunt; Si enim ſunt naturalia, huic, ſi contra naturam, hyperphyſica & mala, illi: vel etiam Angelis bonis, qui nil niſi bona operantur mediate vel immediate; non autem generant nec generantur, vt nec mali, qui translatitio ſemine, quod non eſt eorum, ſed hominum, vel fictitio modo per illuſiones phantaſticas, aliquando generationes naturales imitantur.

CONCLVSIO TRACTATVS.

EX quibus omnibus tam ſupranaturalium, quam naturalium ortus miraculoſi patet, quatenus contra conſuetudinem aut ordinariam Naturæ viam aliquando contingere ſolent: Quemadmodum enim volucris illa arborea in Orcadum inſu-

lis per & contra naturam nata, vel Dei omnipotentis dominium ſupra naturam & liberrimam voluntatem indicat, vel naturæ conceſſam à præfixa ſibi ſemita ſeceſſionem ſuo exemplo exprimit, ſic quoque reliqua omnia, quæ huc vſque euoluta ſunt, idem conuincunt, vt ab hominibus in mundo agnoſcatur, quod

Non Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum,
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus:
Ipſe poteſt Solis currus inhibere volantes,
Ipſe velut ſcopulos flumina ſtare facit.

FINIS.

£4.0.0.